





1
6
481









MALIGNARVM VARIOLARVM,

ET OBITER ETIAM Petechiarum Tractatio.

Noua & Methodica.

VBI ET DE EARVMDEM accidentibus, de reparatione formæ, ac pulchritudine agitur.

AD NOBILISSIMOS Et Sapientissimos Patres Ciuitatis Brixiæ.

FELICIANO BETERA Medico Authore.



BRIXIAE,

Apud Polycretum Turlinum.

Iussu & exemplari Publico.

GRAVISS.
MVLTVMQVE,
ILLVSTRIBVS
PATRIBVS
Ciuitatis Brixiæ.

Felicianus Betèra. S.



ENERAE ætatis quanta cura ſit habenda medico, eiuſdem mollities facilè perſuadet, ſic nimium fœdæ cuilibet faſcinationi obnoxia, ſicut iuuentus perturbationibus, virilitas doloribus, ſenectus miſerijs: ætas incipiens nondum eſt aſſuefacta tempori, ac tempeſtatibus: quo fit, vt earum iniurias grauiores ſentiat: & qui de naturæ hiſtoria ſcribunt, memoriæ prodiderunt, infantem aliquando, (quaſi frigoris æſtusq́ impatientem,) in materna viſcera rediſſe: quod ſentiens natura vel non editum fœtum miris expurgat, curatq́ modis, pro eo nullum vel laborem recuſans, vel refor-

 midans

midans dolorem: ſic nimirum edocta cœlitùs, cum naturæ parens Deus pueros præſertim curet, nec vllum, niſi ſi quis repueraſcat prius, inſtituendum ſuſcipiat: quod intelligens apud Platonem Ariſtotelemq; mens Reipublicæ nullis non exercitationum repagulis vix ſurgentem & pullulantem hominis vitam munit. nullis non obligat regulis diſciplinarum, ne nouellæ eius vitæ teneritas facile contaminetur, ne ve obliquè à ſanguinis ac ſenſuum terra ſurgat. Ne igitur medicina Hippocratica Dei naturæ, ac legum obſeruantiſsima Diuini huius conſilij non eſt particeps. Hæc nullius quidem ætatis morbos negligit, attamen, ſi priſcorum monimenta conſidero, pueriles videtur diligentius perſequuta: nec id abre, cum ætas iſthæc noua iam tunc ex terreſtri, (quoad corpus) humore ſurgens reiectanea morbidaq; multa aggreget: ad benè quidem malè ve ducendam ætatem reliquam magni refert, qualem quiſquè & puer & iuuenis vitam duxerit: puerilem tamen enixius curandam, cenſeo: vt pote ab ortu turgidulam, & facilius diffluentem: quæ naturæ

facilitas

facilitas, promptè etiam vel nimio humore pressa, vel corruptelæ cuiusdam vitio labefactata perit, quasi virgultum, & efimeron quidam flos, sub graui præsertim cœlo, cadens, euanescensq́ : cum enim trino quasi cortice animantis naturæ medulla & virtus contecta sit, coagmentatiore scilicet, ac corporatiore substantia, cuiusmodi neruus, & caro est: sanguine item, quo trini alij humores continentur, & qui cuncta impellit, atq́ animat, spiritu: in prima humani ortus viriditate haud magna vi laxantur spiritus, & vitæ cessant, cum tenues nimium sint, & crudiusculi, nondum scilicet perfectæ, vt per vlteriorem caloris vitæq́ decursum fit, maturitatis crassitudinem assequuti. nec minus sanguis, qui spiritui est semper assimilis, per herbescentem hanc ætatem crudior, crudiq́ succi plenus, non minus, dico, promptam ab alendo probè spiritu cessationem habet, potissimùm si computrescit: quod vitium multum oportet, sit, vbi etiam, vt per nouellos annos, putredinem subiens humor & calor existit multus: hæcq́ ipsa tandem labes & carnem & solidum tenellæ na-

 turæ

turæ corpus ac robur ictu oculi penetrat, inquinat, corrodit, eneruat, dissoluit, corrumpit: adeo vt natura mater cum pastore Virgiliano clamore, possit.

" *Quis mihi tenellos oculis malè fascinat agnos?*

Fœdior nempe oculorum spiritus ipsos pariter primùm spiritus, deinde tenera solida, intermedio sanguine, conficit. Sedulò igitur ætas hæc mollior & tutanda, & tractanda est. hac de cum, iam senescente hyeme, efflorescentia planè caussa fœda & pestilens in filijs atq; adeo in vestris cordibus germinaret, vt de ea pro viribus reprimenda aliquid scriberem, pia primùm mitis eius ætatis ratio, deinde egregia vestra in me studia impulerunt: quem laborem & librarij & occupationum culpa intermissum reuocare, quàm primùm licuisset, semper optaui, vt simul & germini ætatum, quod mihi daretur, prospicerem, & grati animi testimonium aliquod posteris vestris relinquerem. Est enim Reipub. & medicos, & quisquis bonarum est amator artium, honestare: sed priuati cuiuslibet est, grato erga patriam esse animo:

animo: vt potius cum ſolone clamet: tibi ò patria verbis factisq́; opitulatus ſum: quàm cum multis eam negligat, accendat, perdat. Non igitur alterius vel nomini vel merito opuſculum hoc, Patres grauiſſimi, quàm veſtro dicandum fuit, qui non ſolùm medici nomen in me honeſtum eſſe voluiſtis, ſed pro cuiusq́; ſtatu indies non ſegniter laboratis: ſiue enim bella premant, ſiue anguſta & ſquallens annona conficiat, ſiue morbi exhauriant, ſiue impietatis peruerſitas chriſtianæ veritatis ordines perſequatur: promptè vos quidem omnem operam, opes liberaliter, vitam intrepidè, maximo, (hiſtoriæ legantur) fidei catholicæq́; religionis exemplo profunditis: veſtras idcirco ædes, veſtra iura, & ſtudia fidei ac iuſtitiæ conſecrantes: Quibus & ipſe beneficijs obſtrictus equidem nihil in me eſſe, intellexi, quod vel ad habendam vobis gratiam commodius, vel ad referendam iucundius eſſe poſſet, quàm ſi, quod vos iampridem ad aliena commoda ſanguine peperiſtis, & ipſe calamo ſaltem & corde eniterer, vt ſcilicet, non ita in poſterum viridis ſoboles à teneris diro

hoc præcidatur tabo, sicq́; ciuitas hæc præclara, tametsi multis & viris & virtutibus semper floruit, florebitq́;, multò adhuc pluribus, fauente cœlo, vigere possit.

Brixiæ IIII. Idus Aprilis.
M. D. LXXXIX.

MVLTVM ILLVSTRIBVS, ET SAPIENTIBVS PATRIBVS Brixiani ordinis.

Felicianus Betèra Medicus fœlicitatem.



VERI, vestra soboles, & vestri generis magna spes exitiosam corporis turpitudinem patiuntur: si puras candidasq; animulas hinc quotidie sublatas suspicio, messis isthæc & vocatio quædam Diuina est. Sin atrata corpuscula, quæ iacent, & indies efferuntur, aspicio, papularum est semen fœdum, quod Diuino iussu erui omnino debet, præsertim in pueris. *Leuitici.* Ergo dum beatæ puritatis euolatio à matre Ecclesia decantatur *13.14.22.* pro patris eos vocantis gloria, tetram interim diramq; luem pro *1. regum.* viribus insectemur. hoc salutis, hoc artis erit, vt aliquando reipsa *21.* constet, turpem hunc adeo acremquè morbum acria etiam & pulchra remedia Hippocratica non fœminea postulare.

De variolæ ethimologia.



VARIOLA, patres optimi, species existit pustulæ, siuè papulæ: sicuti hæc tuberis: quod Hippo. & Græci, *Gale.1.in* vt à Galeno relatum est, phyma vocant, latini tuber *6. de mor.* (vnde tuberculum) tralatione sumpta ab his, quæ ter- *vulg.com.* ra edit: & si enim propriè hoc nomen eorum est, quæ *13.* sponte extuberant, idq; extrorsum, & explicatius, attamen tuberis noment, vt ait Gale. de alijs etiam dici solet: quorum hæc quidē sunt tumores effatu digni, vt cancer, erysipelas, œdema, scirrus, phlegmon, carbunculus, illa verò minuta & parua, græcis dicta exanthymata, quo nomine & petechias Galenus vocat 5. methodi cap. 12.

ab Hippo-

ab Hippocrate vocata ἐκθήματα 3. epid. sect. 3. tex. 50. quod verbum videtur complecti omne pustularum genus, sicuti & exanthima apud Paulum lib. 3. cap. 3. Variolis autem cum certum nomen non esset inditum, nouissimi medicorum vari diminutiuum imposuerunt, vt ni fallor, docerent, quemadmodum & terræ tubera, sicut fungi, bulbi, crassæ existunt substantiæ 2. de alim. facultatibus cap. 68. & duræ vari. 5. catatopus cap. 3. sic variolas crassiusculum esse durumq; satis modum pustulæ, indicarent; minorem ac molliorem varo, acutum tamen, sed hæbetiorem eo, quod, vt *Gale.2. aph. 26.* author est Galenus, eximiè phyma est, sponte scilicet nascens inflammatio, quæ celerrimè oriens sibi è vestigio fastigium acumenquè fabricatur, sed paulò post maturescens deprimitur.

Hippocrates & Galenus variolarum quoddam specimen agnouere.

NEQVE verò generatim duntaxat turpitudo isthæc veteribus cognita est, vt pustularum species, sed vt pruritum ferens 6. aph. tex. & co. 9. quamuis non adeo, vt quæ papulæ ex calido magis concretæ succo minori cum latitudine ad solicitandum sensum maiores sunt: de quibus tum relato aphorismo & commentario, tum etiam 6. de morb. vulg. sect. 2. tex. & co. 30. Has easdem Diuinus Hippo. vt feræ ac diræ febris notam tacitè reprehendit 6. de morb. vulgar. sect. 1. tex. 29. vbi penphyngodes proponens febres, quarum nomen à verbo penphynx, quod præter cætera guttam Galeno significat, est deriuatum, proculdubio & variolas, quæ guttæ speciem præseferunt, complectitur, vti accidens dictarum febrium. Quænam autem, illis præsentibus, molestiæ perturbent, vel Hip-„ pocrates vel ex Hippocraticis alumnis quispiam, si rectè memi-„ ni, ita scribit. latæ pustulæ non admodum pruriginosæ (nisi per „ accidens cum suppurantur) postquàm verò eruperint, raucedo „ vocis dolorq; in faucibus ac gingiuis accidit, quæ sententia partim ex 5. aphor. 9. & 6. epid. sect. 2. tex. 30. partim ex 2. aphor. 26. *1. de humor. 16.* elicitur. De pustulis etiam generatim loquens quædam adiecit, quæ varioloso generi sunt consentanea. Hæc spectanda sunt, quæ „ sponte sua desinunt, aut velut pustulæ ab exustione excitatæ, in „ quibus qualia lædant, aut prosint, figuræ, motio, in sublime sublatio,

„ latio,& rurſus ſubſidentia, ſomnus, vigilia, anxietas, oſcitatio hor-
„ ror, & quæ facienda, aut prohibenda ſunt, anteuertas: ſed lucidiſ-
„ ſime eas in Sileno adumbrat, cum in eo puſtulas varis ſimiles efflo-
ruiſſe narrat. Quem ſequutus Aætius refert, prædiximus iam in- *Aætius*
„ fantes ob deprauata alimenta in diuerſos morbos incidere, ita vt *lib.4.ca.*
„ præter alia multa exanthemata quoq; & ampullæ, quas phlictenas 21.
„ vocant, humida vlcera, bubaſtica appellata, in corporis ſuperfi-
„ ciem erumpant. Sed à cortice ad medullam, à veſtibulo ad pene-
tralia, ad cauſas videlicet cauſarumq; ſigna penetremus, vt ſi hæc
non ignorata Hippocrati fuiſſe, conſtiterit, eundem etiam vario-
las quodam modo agnouiſſe, fateri ſit. is enim, quod de fauciũ dolo-
rè dixit ob puſtulas, illud ipſum. 2. aphoriſmorum. 15. magis altè
„ docens ait. vbi fauces dolent, aut puſtularum eruptiones exoriuntur
„ in corpore, excrementa, vrinas videlicet ac deiectiones, ſpectare
„ oportet: nã ſi bilioſa fuerint, vnà corpus ægrotat, ſi verò ſanorũ ex-
„ cretis ſimilia, corpus tutò alere poteris. per variolas autẽ bile per-
fundi, ea, quæ excernuntur, patet. Quod intelligens Gale. vel certè
author libri de oculis, dicebat. ſanguis ſi tẽperati caloris eſt, phleg-
„ monẽ generat, ſi calidior & ſubtilior, eriſypelas generat, ſi calidiſ-
„ ſimus, ſacrum ignem & variolas: has quidem ichoroſus & craſsior,
„ illũ verò, cũ eſt tenuior. Deniq; ſi cauſam cum humore hoc feruido
complicatam ſpecto, putrefactionẽ, Hippocratica & artificioſa bre-
uitas putredinis nomine ſicuti exanthemata 3. epidimiorũ tex. 50.
ſic variolas etiam aliaq; putrida tubera explicat: quæ in effectricem
„ cauſam extimã illam quandoq; referens hæc memoriæ prodidit. aſ- *3. aph.*
„ ſiduis imbribus præter cætera fieri putredines: ſed diuturnas, acrius 15.
„ citiusq; premi naturã indicans, quãdo cũ pluuijs æſtas, auſter, regio
calida, permiſcetur: acutisſimã verò putredinẽ & puſtularũ tumo-
rumq; colluuiẽ fœdare, quando auſtrinus ſquallor & æſtiuus, & diu-
turnus eſt: nam auſtro putredinẽ fœditatesq; ingigni, hiſtoricè in li-
bris narrat de vulgari hiſtoria conſcriptis, methodicè autẽ 3. apho.
„ 5. vbi ſcribit. auſter auditum hæbetat, caliginem vſui obducit, ca-
„ put grauat, membris tarditatem & languorẽ conciliat: quæ mala ſi-
„ gnificant per huiuſmodi ſpiritum humore caloreq; alieno & putri-
do animantia corripi: propiè ſi quidẽ externus calor languidos, re-
iectaneus homor tardos, artus in nobis facit. Hæc igitur ſint noſtri
„ propoſiti rudimenta quædam, ac planè elementa. laudare enim par *Gal.2. de*
„ eſt, tum eos, qui explanarint, quæ rectè ſunt dicta, tum verò, ſiquid *nat. fac.*
„ omiſſum eſt, id ſupplerunt. non enim fieri poteſt, vt idem incipiat *cap. vlt.*
„ ac perficiat.

Variolæ difinitio logica, siue communis.



CVM pustularum differentiæ apud veteres medicos non vno modo constituantur, sed colore, magnitudini, figura, tegmine, sensu, causis distinguantur, videtur variola esse humani corporis pustula, satis lata, & fastigiata, quæ principiò rubens cum fastigiolo albescente paulatim fit vesiculosa, & pruriginosa, ac sæpe numerò vlcerosa, cum febre vt plurimùm: idq; ob crudi sanguinis concoctionisq; vitium; dixi pustula; vt genus statuam: addidi humani corporis, vt ex mali huius subiecto differentia addatur generi: subiectum autem proculdubio humanum existit corpus, tum quia de hoc medicina, non belluino, agit, tum etiam quia variola, vt talis, non ferarum, sed nostra est: nam & vari nomen, cuius est diminutiuum variola, ad belluas non pertinet: feræ etiam duriorem habent & pellem, & sanguinem, quàm vt variolis perfundi possint: demum variola in beluis haud variola nostra est, cum & natura à natura, & sanguis à sanguine, & ichor ab ichore, proinde etiam eadem abscessus species à seipsa in homine bestijsq; distinguatur, non aliter quàm & ipsamet tubera, quæ seu alba, seu nigra sint, aut viridia, non mediocriter dissident, si ex arboribus, vel terra protuberent; in hac enim tam variæ atq; inexplicabiles, sicuti 4. de morbis scriptum est, qualitates latent, vt quauis in erumpentium specie mira diuersitas deprædendatur, & posteaquàm in hac versor comparatione, vnum addo scritu dignum, quòd quemadmodum, vt idem est author, non eundem translatis plantis humorem tellus suppeditat, sic ne ipsissima quidem variola, si ab vno in alium contactu serpat, eiusdem prorsus vel typi vel moris est: quominus grandinosæ suum pustulæ cum humanis conueniunt? dato enim, quòd illud sint in suino genere, quod variola in humano est, attamen nec humoris substantia, nec intemperies omnino est eadem, sed frigidior, humidior, pinguior, vnde nec rubet, nec funditur ad cutẽ, sed hæréscit in carne, latet in sumine: hæc de subiecto: dixi lata & fastigiata ad differentiam minutiorũ & earum, quæ vel ex succo non ita calido & in acutum surgente fiunt, vel certè non adeo ob vstionem crasso, vt ob crassitiem non acuatur. sed humilis & veluti depressus iaceat, tenuiore & flammeo in pyramidis modum surgente: quòd rubescat principiò, in causa est biliosi sanguinis natura, qui primùm per cutem spargitur. cur

albescat

albeſcat ſummum, dicetur paulò poſt. addidi veſiculoſa: vt diſtin-
guatur ab ampullis, bullis ve ex humoris agitatione ſurgentibus. eſt
enim triplex bulla: vna eſt, cum humor præſertim viſcidus & craſ-
ſus ex motu, vt dicebat philoſophus, in imum pulſus paulò poſt in 16. probl.
hæmiſphærij ſpeciem reſurgit: ſed breui perit: Secunda eſt, quæ 2.
veſica dicitur, & eſt cuticulæ inuſtæ inflatio: tertia eſt mixta: vt
hoc in loco: hic enim cuticula accenſa inflatur: hic ſatis craſſus &
ampulloſus ichor in altum corpus à calore tractus mox ſe ſe ex
imo ad cutem referens, & ebulliens ſub veſica globeſcit, quo non
implente, veſicula illicò detumeſceret. incipit autem ab albo acu-
mine, vel quòd aqua extuberat, ac turget prior, vel quia cuticula in
ſummo prius, vbi & flammantior conflagrat bilis, flammeſcens pal-
let, non illicò nigreſcens, vel quia circumfuſa, vt ſolet, bile ebulliens
& ſurgens ichor alborem à ſummo edit. additũ eſt deniquè. ob cru-
di ſanguinis concoctionisq; vitiũ, quia cum variolæ fædum quoddã
exiſtant, ab excremẽtis fiunt: hæc verò partim crudioris, partim de-
prauati ſanguinis & colluuio & nota ſunt: crudioris quidem ichor &
pituita, deprauati verò ſalſi, acres, flãmantesq; ſucci. hoc autem ſa-
cra medicina à Diuinis reſponſis habet. hæc papulas, vt immundas,
& in cibis & in ſacrificijs prohibent: leuitici 13.14.22. 1. regum 21.
& aliàs: attamen cũ animalia, quæ ſuapte natura immunditiei dam-
nantur, recenſent, papularũm mentio non fit, vt Deuteronomij 14.
& leuitici 11. capite: vel igitur papulæ Spurcæ non ſunt, vel earum
origo in eas cauſas refertur, quæ ſuem & alia immunda turpitudi-
nis repræhendunt: at verò papulæ, ſicut dixi, tanquàm fœdæ accuſan
tur, vel ipſiſſimã ouem à ſacris prohibentes, quàm papulis corripit
ſcribit Virgilius: igitur puſtularũ eruptio in cauſas reducitur inna-
tæ turpitudinis animaliũ: hæc autem, vt à relatis habemus oraculis,
ſunt vngula non bipartita, & non ruminare. hoc enim in cauſa tandẽ
eſt, vt cibi maturatio rudior ſit, & fœcum plena: quod cum ſuibus
accidat, iure Deus, vt cibum fædum, electo populo non concedit, non
excludens ouẽ, quæ ruminat: vnde ſic arguo; ſicuti Diuina lege cau-
tũ non eſt, vt ſues à menſis abſint, quòd puſtulis laborare ſolent, alio-
quin & oues à ſacrificijs, à cibo reijcerentur, ſed quia non ruminando
haud benè concoquunt, ſic mala & porci & hominis concoctio in
cauſa tandem eſt puſtularum: quod mendum eò maius eſt, quò mi
nus etiam cibus manditur, vt in homine, cauſa ſatis confirmans, non
modò variolas, ſed puſtulas etiam eſſe hominis fermè proprias: cũ
is non ruminet, quin ſæpè voret, vt iuuenes in patauina ſcola, quorũ

aliqui ſemper ineunte vere puſtulis & febribus malignè ægrotant: quòd autem præter cruditatẽ adſit concoctiò, vt aiunt, vitiata, ſatis ijdem almi declarant libri, qui puſtulas cũ vlcere, cuiuſmodi lepra eſt, potiſsimùm deteſtantur; vlcus quippè non fit, niſi immundus laboret, hoc etiam eſt Hippocraticum, at immundities, niſi praua ſit, non corrodit. huc accedit, quòd cũ non merus & metis ichor in hiſce puſtulis videatur, neceſſariò cũ cruditate aliud vitium, quod vſtionẽ ſapiat, conſpirat: tale quid præſeferens, quale nidor & inexplicabiles deprauatæ concoctionis, eius videlicet, quæ in ventriculo fit, qualitates edunt, nec ab hac ſententia Gale. abeſt, qui in 4. de tuenda valetudine ca. 4. vlceroſæ laſsitudinis cauſas & ſigna indagans, & præter cætera ſignificationẽ à puſtulis acceptam tradens vitioſæ magis quàm imminutæ ſanguinis maturationi videtur vertiſſe vitio, quòd puſtulis cutẽ deturpet, exaſperet. quod & variolarũ demõſtrat color, qui non aquã ſubcruentã, vt in hepaticis frigida de cauſa laborantibus, ſed flãmeum ſanguinem aquæ mixtũ refert, vnde & malè olet, ſicuti etiã egeſtiones hepaticorum, qui æſtu viſceris colliquantur: ad hæc ſi hæ puſtulæ fiunt ex reliquijs ſanguinis menſtrui, huius fæditate & humor, & calor, & concoctio & ſanguis inficitur. ſi ex labe poſterius accedente, vel cibi, vt ait Auice. fœcem habentes multam, vel fœdus aer inquinet, ac vitiet, neceſſe eſt: cuius vim corruptelæ in excrementis, in qualitatibus mutatis, præſertim faciei & oculorũ quaſi puerilem quandã luem, & agnoſcimus, & formidamus, cũ & minitans contages hoc ipſum clamet, per meram cruditatem, niſi fœdus ac putris accedat calor, adigi minimè ſolita: & quid obſecro, vt ad puſtulas redeam, eſt rubeſcens areola, niſi ardens & fuſa prauitas? quid cuſpis, niſi ignea & exurgens acuties? quid veſicula, niſi inflãmata & acuta inflatio? quid vlcus, niſi corrodens acuties prauitasq; humorũ? Ergo ex forma & attributionibus puſtulæ huius ex contage & alijs ſignis conſtat, variolam eſſe puſtulam, quæ ex crudi ſanguinis & concoctionis vitio in humano corpore cum dicta figura & ſpecie protuberat. Quòd abſit febris, eadem ratio eſt, cur in morbidis tẽpeſtatibus abſceſſus aliquando cũ febre, aliquando ſine ipſa extuberent. exploditur ſcilicet aliquando humor, antequam putreſcens ebulliat: interdum verò poſt putrem ebullitionem prodit, qui autem huius ſit caractet febris, paulo poſt dicam: nunc definitionis perficiundæ incumbit onus: hæc enim nec naturam, nec idcirco problemata explicuerit, niſi eam difinitè magis propria ex materia & effectrice cauſa conſtituam, à loco orſus, qui à philoſopho ad materiam referri, ſolet.

De loco variolarum, præsertim intimo.



ARIOLARVM locus est superficies, excipiendis fœditatibus addicta interni cuiusq; foci, in homine, si quo in animante, rara meatuum, vt sicut intelligentiæ magnũ cerebrum (ita phisici docuere) cum paruo ventriculo ancillatur: sic ad cerebri ventrisq; omnis sordes trudendas, ne menti obessent, cutis tenuitas inseruiret: propriè autem earum sedes est inter cuticulã & cutem, locus non subtus cutem, quæ meta cancrorum est, ob nimiam crassitudinem, nisi tẽpore accensi & acres fiant, pellẽ non superantiũ: non omnino extra cutem, vt in pustulis quàmtenuissimis, sed intermedio situ: pelliculam autem non modò foris, sed intus hoc obduci malo, Hippo. generatim significat, scribens. phymata foras extumescentia & acumi- *6. epid.*
» nata &c. meliora &c. idipsum expressius edocet, erysipelas dicens, *sect. 1. t.*
» verti ad exteriora bonũ &c. quid enim est extrorsum verti, nisi, quod *13.*
» intus concretũ sit; ab intimis ad externa verti? Aristoteles Hippocratis assectator secretus grandinẽ, pustulas, in iecore, in renibus ingini scribit. Auice. botor hoc est pustulas in lingua curat. & quia lotium & lingua indicat, idcirco & in ventre, ad quem lingua pertinet, par est hanc fœditatẽ coagmentari: multò autẽ magis in visceribus, quæ plurimo efferuent sanguine, vt iecur, pulmo: cor nullam inflammationem, nullum tumorem nisi, vt ait Gale. incipientem patitur. reliqua ergo & viscera & membra pustulas contrahunt: Sed quid plura? non ne capite artubusq; fœdatis, sæpenumerò venter præsertim inferior nitet? si hoc ea de causa fiat, quòd citius ex crure, brachio, capite, erumpat impuritas, ratio assentitur: nam tenuiore corio artus obducti sunt, quàm corpus reliquum: caput autem leuiorem & subtiliorem sanguinis portionẽ è limine excipit, & ne diu mens diuexetur, extrudit: nam delirare puerulos, cum expellũtur à cerebro papulæ, perspectum est: ita verò seipsum expurgans tumet, sicuti etiam superiorum partium incremento pueri natura exuperant. 5. de gener. anim. cap. 5. quòd igitur celerior sit capitis artuumq; turpificatio, quàm ventris, est exploratum. at verò quod è ventre non prodeant, in causa est earundem intestina concretio: ex pectore quidem, vti loco magis spirabili, nec tot plexibus obuoluto, aliquæ semper protuberant: ventrem autem & pellis & musculi crasfiores circum retiunt, ne tam facilè pustulas emandet. num igitur non subest intra cutem, quod extrudi quandoq; possit? subest equidem: & medicos oportet aduerte diligentius aliquid ne vel sub corio, vel in

viſceribus deliteſcat,quod nocere prius,quàm curari,& ſciri queat. Quid igitur nõ effluit? in alto & imo ventre ſanguis feruens & prauus viget, vbi & bonum natura conficit. hunc illa amplectitur eum autẽ diſcuti à natura,dixerit nemo: vibrari per ipſas puſtulas, quaſi ab arce ad mœnia globulos, rationi eſt conſentaneũ: cũ natura corporũ gubernatrix pro tutando centro extima feriat: cernere etiã eſt principiò naturam quoquò verſus diffundere humorẽ fœdum, per vrinas & egeſtiones, per vomitum, per ſudores, circumquaq;, omnifariam: ſed exploſio iſthæc tenuiorum eſt, non craſſiorum ſuccorũ:

2. aphor. co. 15. „ animantium enim natura principibus partibus contentos humores „ prauos vacuatura horũ interdũ partem quandã per vrinas,aut aluũ, „ aut vomitum excernit,alios ad cutem protrudens, ſi propter craſſi„ tiem euacuari nequeant, eò loci ipſos deponit. indeq; puſtulas in „ corpore fieri contingit,& pro varia natura humoris,variæ protuberant, vt dicetur, ſpecies puſtularum: cũ autem per vrinas & aluum, laxiſſimos meatus, non poſſit variolarũ colluuies expurgari, quis eandẽ à venis magnis ſic extrudi ad artus extremos dixerit, vt turpefactis cruribus & brachijs, venter omnino ſit expurgatior? fuſa eſt per totũ corpus iſthæc impuritas: alioquin brachia tenuiſſimis tantùm puſtulis perfunderentur, cum craſſioris humoris ſit deſcendere, non aſcendere: non fœdari igitur ventrẽ,ſed effloreſcere alijs in partibus puſtulas, argumento eſt valido, iecur, renes, & reliqua viſcera, in quibus ſanguis iſte impurior aggregatur, puſtulis laborare: quod præter febrem quandam foris leuem & vniformem, acrem tamen, cũ mictu minime perturbato demonſtrant, quaſi ſenectæ anguium, cruſtæ ipſæ, in egeſtionibus aliquando animaduerſæ. Iecoris autem mentio facta eſt, quia hoc viſcus præcipuè affici, vrinæ docent, venoſi generis teſtimonia, quod ab eptate ortum ducit, & ſicuti à puſtularum ſpecie humorum praua quæq; ſpecies ſignificatur. 4. de ſanitate tuenda cap. 4. ſic humorũ prauitas bonitasq; ipſa etiam in bonam malamve viſceris effectionem referri, ſolet. ſordes primæ concoctionis chiloſæ ſunt:excrementa tertiæ ſubtiliora.igitur variolæ,craſſior ſoboles, ſunt fœditates ſecundæ. prauitatis quidẽ humorũ inchoans cauſa eſt ventriculus,ſed iecur & cor eſt perficiẽs: chylum enim in ventriculo paratũ hepar hac vel illa humoris ſpecie informat, cor autẽ vel torpens torpefacit, vel inflãmatum inflammat. itaq; vnus ventriculus puſtularũ nõ eſt emiſſor,& fabricator,tametſi eaſdem ex aliena ſobole poſſit concipere,cor verò ad eas conſpirat, cum accenſæ febres cõcretam colluuiẽ vrunt,malum grauiſſimum,

quod

quod è regione item cordis, vel anteriore vel posteriore, qua præsertim aorti perreptat vena, emitti solet. ergo iecur propriè fons est pustularum membra enim speciei propagandæ & asseruandæ addicta, qualem à iecore sanguinem acceperint, talem edunt. cerebrum multorum, vt ait Hippocrates, est malorum author. at pustulas non fundit, nisi vel ex vulnere, (vulnera enim scribit idem senex aliquando pustulis circumfundi) vel ex conuulsione proprij sanguinis minutulis quibusdam portionibus excitatis, vel ex contactu fœdo: cor ardens variolas in petechias conuertit ergo iecur legittimus venter est, in quo papularũ materia coagmentatur, sed cor ad maleficia complicem cooptat, vt variolæ occidant, & febrem suscitent: nam illæso corde, nec febris angit, nec tangit mors, præsertim cita, & repentina: quam, vt ab Auicenna obseruatũ est, vnum iecur inferre, nequit. hoc per gibbam venas, per concauam partem intestina tangit 5. de lo. aff. cap. 7. ergo illud ipsum malè tractari in hoc morbo, necesse est, cum vix appetente & cutem pulsante labe, aluus aliquando, non paucis vrina profundi, soleat. Demum hepar vulgarium & biliosorum morborum sentina est alias probabo. illud igitur ipsum veluti officina & fucina variolarum est: ab eo postea prauus humor per venas dimanans puriorem malè fascinat sanguinem: aggregatio autem bilis in iecore tam & si necessariè aliqua semper adest, in prouectioribus, qui & diutius causam sustinent, ex vrinis & egestionibus, ex lateris calore, ex amarore oris, siti, vigilijs magis, agnoscitur.

Auic. lib. 3. fen. 14. tr. 1. cap. 13.

De regione & loco variolis obnoxio.

SI autem regionem quærimus, non sub polis rigidis pustulæ efflorescunt, non prope æquinoctialem, sed in climate temperato: poli enim, vt duri scytharum mores & æra ibi nascentia indicant, duriorem rigidioremq; ingignunt sanguinem, quàm molli satis pustularum generi aptus sit. è contra molles indi, & qui meridiem incolunt, siue ob æquabilem quandam frigoris calorisq; temperiem mites, siue ob nimiam, vt in Aphrica, vstionem refrigerati, acrem hanc fæditatem à teneris præsertim concipere non videntur. intemperata verò zona, vt nec humor calore, neq; hic humorem deficit, sic vtriq; acrior qualitas ad variolæ mensuram adesse potest, quæ in proxima Aegypti parte acerbior non variolas, sed pestem vulgat.

Et si medici, quæ quisq; propria in regione experirur, scribunt, cum pro Galeni decreto , nulli nisi experta scribere liceat ; proculdubio temperatæ regionis prouentus existunt variolæ, de quibus vni ferè Arabes, italiq; scripserunt. huic autem conditioni secundam adde; vt regio variolas perpessura nec elata nimis, nec humilior sit nam hæc ab austris, præsertim pluuijs, longe maiorē putredinis gradum contrahit, ea verò nimis algidos aquilones, squallidosq; austros excipiens squallescit : boreas siquidem ichorem haurit, austri sicci accuunt, humidi autem propriè fœdant, ac putrefaciunt. tertia conditio sit, vt nec regio nimis nubilosa sit, nimisq; nubilosum sanguinem generans, sed satis lucida, & eum tenuitatis ingignens modū, qui austris crassefactus variolæ crassitudinem non excedat. alioquin nebulosus nimium sanguis & cœli status in algidis regionibus eos morbos vulgat, qui ab Hippocrate in libro de aere locis & aquis recensentur, in calidis autem & cum frigore morbos primæ primi, cum calore autem magno & putrido morbos tertiæ tertij. Quartò oportet sit ciuitas potius, quàm villa : nam hæc libero, illa referto ac denso aere vtitur. Quintò abundet vino carnibus, non glandibus, & aqua, alijsq; frigidis sanguinem magis imminuentibus, & refrigerantibus , quam augentibus, & deprauantibus.

De materia variolarum.



E variolarum materia, an scilicet ex ichore vel sanguine sit concreta, disceptari solet. ego rem pressius explicabo. Est variolarū genus crassæ satis substantiæ, sed quæ maturationem, saniemq; admittat, igitur non ex mero ichore, vt sudor, mictio non tamen sine ipso est, cum & hoc abundent pueri, & exanthematum ex ichore sit prouentus multus, Galeno authore, sed ex sanguine ichoroide. non tam subtili, vt esseræ, ac lutulenta, quæ mera caloris vi effunduntur 2. aphor. co. 15. de quibus. 3. aph. tex. & co. 21. sed ex sobole pariter crassiore ac corporatiore cū & sat duræ sint, & minimè euanescant. subtiliores morbilli sunt, sed corporatiores aliquantò sunt petechiæ, tametsi non rarò minores ambitu: quæ & magis retrocedunt, quā euanescāt, nisi eæ sint, quæ mittissimæ sunt, & culicū morsubus similes. his densiores naturâ sunt, quæ nō ex ichore sanguinis, vt primum genus, non ex rubra & florida portione ac bile, vti secundum, sed ex ipsomet sanguine nonnihil vsto, densatoq;, quæ fœdationes

Gal. 3. de cau. Sym. cap. 2.

obturbant,

obturbant, quoties natura, vt ait Galenus, partes imas corporis expurgat, vt quandoq; per excretionem, sic aliquando per decubitum: nec vnum est petechiarum genus, sed varium satis, pro vario sanguine, ex quo concrescunt, subalbescente nimirum rubeo, viridi, atro: variola autem partim ichoroidem & pituitosum, partim exustũ præsefert sanguinem: ichoroidem in areola circumfusa, & aqueo humore, qui subest intra vesiculam: exustũ verò, quia si non atrum, rubeum certe sanguinem & luteum continet, illumq; acrem, vt dicam postea: alioquin ex ichoroide sanguine pro Galeni sententia non gigneretur, cũ, eo iudice, sit ichoroides, qui est acrior. 2. in 6.38. nigrescit quidem variola sæpenumerò, sapitq; aliquando vim bilis atræ; tamen principiò rubet, nigrescit in fine: nam & si variola suo iam contecta tegmine enascentem refert carbunculum, qui milij formis incipiat, attamen varia vtriusq; & materia, & origo est: variola enim tardè bullescit: antrax autem celeriter attollit, & vrit cutem: & idcirco sine pustula exiens, cum est grauior, exurentior, exustior & conglobatior. 4. methodi. 10. Nec cuticula variolam obuoluit solũ, quia exusta surgat, sed quia ob copiam tumescit feruentis aquæ: cutem magis exurens postea, vel disrumpens, cum & ipsa tempore computrescens magis accenditur, carbunculum aliquando, carbunculosamve affectionem excitans, cum vel plures atratæq; variolæ coniunguntur, vel sub variola multum latitat atri sanguinis biliosiue, qui ob putrem calorem nigrescat eiusdem loci. Non igitur principiò id genus pustularum, nisi quàm rarissimè, ex nigro concrescit succo, sicut atræ petechiæ, quamuis & hæ non semper ex atra bile illa exquisita, sed ex ichoroide nonnunquã succo, exusto tamen, sunt conglobatæ, & tunc latæ, subtiles & vix è cute surgentes sunt. Sed nec virides humores variolarum materia esse solent si Rasis & Auicennas aliter sentiunt, raro id fieri, dicendum est: virides succi sunt, bilis porracea, æruginosa, isatodes: at porracea, quæ scilicet porri colorem refert, in ventriculo gignitur ex cruditate, & corruptione calidorũ ciborum. 2. de temper. ca. 6. lib. de atra bile cap. 3. 2. progno. co. 39. 1. de crisi cap. 11. igitur variolarum materies esse nequit, quas in hepate concipi, statutum est. isatodes autẽ & æruginosa, quarum hæc viride ipsius æris, illa isatin herbam, qua vtuntur tinctores, colore imitatur, hæ dico, cõmunem cũ variolis habẽt & fontem & causam, colorem scilicet immoderatum, qui est in vasis, præsertim in iecore: attamen cum diutius inconcretæ maneant, libro de atra bile cap. 3. parum videntur aptæ, vt ex eis pustulæ concrescant, nisi magna intus, (quod tamen in hoc malo non

Gal. 1. de humor. co. 16.

semper fit) conflagret flamma, censeo etiam si huiusmodi humores variolas gignerent, variolis ad futuros colores admodum varios, prout sanguis biliosior plus minus à viridi hac specie distaret: isatodes enim ex flaua bile vehementius assata fit, Galeno authore, nec humores vstos ad incendij finem non perpetuò duci, controuersum esse, debet: igitur quoties hanc metam in variolarum sobole efformanda non tangeret, varios pro vario ab ea recessu bilis modos referret; quos tamen in variolis non ipse video: nec satis scio, humores ne adeò exusti humorem illum aqueum admitterent, quē in variolis intuemur. his addo abesse notas æruginosæ bilis relatas à Galeno 13. methodi cap. vltimo & 1. aphor. co. 1. & 1. epid. sect. 2. tex. 54. quæ sunt conuulsiones, sudorum guttæ, vomitus acerbissimi; & à vomitu interdum mors: quæ mala videntur communia etiam ijs, qui vexantur ab isatode: cum hæ biles non differant nisi vt dici solet, secundum magis & minus. Cum autem à variolarum concretione humores ij excludantur, reliquum est, vt earum origo in sobolē referatur bilis pallidæ, flauæve, vitellinæ, ac rubeæ, quæ circumfunditur. & colores hoc ipsum indicant: cur autem tanta bilis copia vrinæ subalbescant, dicetur postea. nunc quædam quibus rei summa facilè continetur, addo. primùm, quod superius dixi, quodam regressu comprobo, variolas, sicuti non fiunt ex ichore solo, sic non ex sanguinis portione vlla citra suum ichorem concrescere, & eum multum: ex ichore, quia suum quisq; humor icorem habet: multo autem, quia & corpora variolis obnoxia humidiora sunt: victus etiam ac tempestas existit talis: nec febris in tali statu & corpore ita vrens supponitur, vt ob vstionem humores redditi synceri squalleant: & sic argumētis contrarijs respondeo: exit aqua, fateor, sed rubor principio, tandem verò luteus vel alius color subesse cum ichore sanguinem, & eum exardescentē significat. Sed eodem loco Gale. 3. de can. symp. 2. fieri etiam concedit ichoris humorumque permixtionem: alioquin cum ichor mitissimus Galeno existat succus, nō adeò interdum funestas efflorescentias generaret:
Gal. 2. in 6. 38. idipsum etiam ab ipsomet Galeno discere est, qui 6. aphor. 9. lib. de humoribus co. 16. 2. in 6. de morb. vulgar. co. 30. in pustulis non ichorem, sed ipsos accusat succos, & sigillatim. 1. epid. temp. 2. tex. & co. 38. habentur papulæ euanescentes, quasi sudamina, & idcirco ex crudis concretæ humoribus: concretiores autem in Sileno fuerunt 1. de morb. vulgar. temp. 3. ægro. 2. conglobatissimæ autem 3. 3. tex. 51. cui assimiles fuerunt, quæ referuntur in Galeno 5. methodi. 12. an verò in concretione variolarum potior

sit bile-

sit bilescens ichor, vel bilis ichoroides, sic censeo, hanc in malignis, eum verò in benignioribus timendum esse. Huic autem tertium addo: sicuti ad ortum talis temperies & crassitudo seminis humorumq; est necessaria, sic ad variolas coagmentandas talem & speciem sanguinis, & modum substentiæ, crassum scilicet vel tenuiorem aut intermedium requiri. Quod vt planum fiat, addo quintũ, materiam scilicet variolarum partim acrem esse, partim nõ acrem, acrem, quia cum variolæ ex vitiata concoctione & ichoroide succo fiant, profectò & ichorem, & bilem quodam nidore capi, vel certè acescere, nitrescere, salsescere, subamarescere, necesse est: sed acidus sapor, nisi ob magnã, vt in bile atra, vstionem, fiat, in ventriculo plerumq; nascitur, rarò salsescens vi putredinis cõsuctæ, cum per hanc magis amarescat, & bilescat, quàm acescat humor: subsalsceri igitur, vel nitrescere, oportet sobolem hanc, quod & prurigo indicat, vel principiò, vel cum iam magis æstuans, saniescensq; pustula manifestò acrimoniam sapit: huc accedit, quòd tenuitatem quandam materia isthæc participat, tenuium verò succorum, vt sæpè Galenus docuit, præsertim 3. in 3. de vulga. morb. com. 51. est vlcerare: quod intestina quandoq; & lumina per variolas corrosa significant: acrior itaq; variolarum origo est. Sed è contra acrem non esse, aio, quia principiò interdum nec tactus molestiam, nec vesicæ vlcus, quinimo nec semper in progressu hæc malafert: & ratio est, quia crassiuscula est interdum earum substantia, nec idcirco exulcerans, atq; acrior, nisi in malignis variolis, idq; in statu, cum præ incendio crassitudini cuidam quædam etiam acrimonia coniungitur, vt per exitiosas etiam pustulas sit non ita crassas, cuiusmodi erant Galenicæ iam relatæ: Hippocraticæ illæ. tertiæ tertij carebant vlcere, quòd earum soboles crassior magis, quàm mordax esset: sunt ergo variolæ, præsertim malignæ non parum acres: rigorem non excitant, quando exeunt: quid tum? rigor humore acri fit ac tenui affatim cutẽ mordente: pustulæ verò in respectu eius crassiusculæ satis sunt, nec tam repente extuberant, & celeri appulsu contutiunt, vt obrigere ægrotans possit. Sed quid, si dixero à variolis, saltem malignis, musculos concuti? non equidem ratione causæ coniunctæ, sed penes eam, quæ antecedit, vt enim hæc, tanquàm tenuior faciliorque, prius accenditur, sic prior funditur, & præ acrimonia rigorem infert, crassiuscula paulò postabscedente per superficiẽ: sunt malignæ variolæ iugis & malignæ febris symptomata: at in maligna febre quãquã continua obrigent ob causæ mordacitatẽ ægri: cum rigore igitur acrimoniã quandã habent variolæ,

præſertim acerbiores, idq; magis, cum ſuppurantur. Quod, vt planum fiat, quintum addo. humori inpuſtulas fuſo, vt molem ab acceſsione ichoris & ſanguinis, ſic addi æſtum, acrimoniam, craſsitiem à loco à mora, ab aere, à tempore. dum enim in cute moratur puſtula, excalfit, & putreſcens euadit acrior fit etiam craſsior, quia & putredo, & concoctio, vt Hippocrati primùm, dein Ariſtoteli viſum eſt, incraſſat: id potiſsimum quærente cute, quæ natura denſior cum ſit, ſuccum pro viribus ſibi aſsimilat. ſedet ambiens æſtum auget, vrendo cum æſtuat, cum obriget, cogendo, per accidensq; inflãmando & idcirco acrimoniam & craſsitudinem augendo, inceſſanter tenuiore humoris porcione exhauſta: In loco igitur vim acquirit puſtula: Et hoc eſt quod ſcitè admodum Paulus docet de exanthematibus: quæ & his de cauſis vt Aætius ſcribit, per malignas febres exulcerantur. leuis igitur eſt oriens cutis accenſio: at tempore bileſcit, bulleſcitq; magis; accenſione augeſcente. Quæ cum ita ſint, facile patere poteſt, qui craſsiti ei ac tenuitatis modus variolæ humorem conſtituat. primùm enim nec adeo ſubtilis oportet, ſit, vt per mictum & aluum profluere, emanare per ſudores poſsit: nec tam craſſa; vt vel non niſi hærere intus, vel per maiuſculos dumtaxat abſceſſus exire, poſsit. Secundò humor hic inter ichorẽ bilemquè interiacet ſudaminum, ac petechiarum: inter iacet dico, quoad denſitatem ab igneo calore ortam, alioquin eſt limoſior. huius quippe vultũ progeniei tunc demum expreſſeris, cum limoſam ſimul & bulloſam ſpumantem, ſpongioſam & aere puerili q; halitu inflatam dixeris. quod & febris earum firmat, acrior ſimul & dulcis, plena ſpiritus, aerea, ignea, multi humoris, & halitus, & ex illis aſpectu diris; quæ ex aereæ puriſsimùm portionis conflagratione accenduntur: Et ſi enim febres penphyngodees propriè dicuntur, quæ putridæ ſimul ſunt ac igneæ; ſalſuginoſæ autem berreſtres ſunt, humidæ aqueæ horrificæ aereæ; attamen & ſalſa & aerea, & aquea febris multo & accẽſa igne & fœdata tabo ob vſtionem atra tortuoſa, immanisq; vel in pueris & mitioribus naturis, vt per variolas, reddi ſolet: hæc autem vt Galenica & Hippocratica ſupponens, & ad rem pergens aliud adnoto: qualis eſt, qui in variolas ſpargitur ſuccus, tale etiam pus eſſe: non merè aqueum, alioquin, ne ſanieſceret quidem, non planè ſanguineum, ſed intermedium. Quò autem hac turpitate reſpergant corpus, quæritur inprimis copia, quæ non facilè a reliquo ſanguinis expiata putri quodam fermento iecur, vaſa, corpus tumidum reddat. Secundò auctior acrimonia, & calor eſt neceſſarius. alioquin in calidiuſcu-

Paulus lib.4. capit.8.

Aætius lib.4.ca. 130.

in calidiusculos duntaxat quosdam, non populariter in plebeculam puerilemquè ordinem à communi caussa, quæ aer est, funderentur. tertiò opus est, non sit mera, vt cum humor à febre vstus in petechias concrescit, non sit valdè mordax, & sicca, vt per squallores fit. sed nubiloso humore abundans, vt fit per austros, nubilosasq; tempestates multum nubilosi homoris & aerei generantes. Denique & pellis laxitas optatur, quæ in multis densior irretit eruptionem.

Caussa effectrix.

LAXAT autem aer calidus, humens, austrinus, qui & nubilosam bilem cum plurimo humore gignit, & eo pariter halituoso, sed caussa effectrix intima horum malorum est mora humoris, & calor quidam nimius venarum ac viscerum, à quo feruor, febris, ebullitio, expultricis irritamenta fiunt: caussa autem exterior & ipsa vel actu, vel potestate calet, nam excitare pustulas caloris est, vt patet exemplo titimalli, salsarum thermarum, & morsuum, tactuumq; venenatorum, gallici item, ardentis febris, percalidi ac fædi iecoris. est autem hæc tripartita: victus calidus, & fœdus, de quo Auicennas; aer grauis, & occasiones. sed hæ, quod iam in obnoxijs concretum est, excitant, sicut contagia: cibi autem in respectu aeris præparant: sicuti etiam præcedens tempestas: præsens verò propriè fædat, præsertim excepta spiritu: quæ calamitas propria videtur infantium nundum aeri huic assuetorum: sicuti aeris contages puerorum: qui in eo versantur magis, quàm recens in lucem editi: aeris autem morbidi ratio partim à cœlo infertur, partim à terræ respirationibus, quæ à cœlesti lumine motuquè excitatæ cœlo obtemperant, præsertim soli, non tamen, vt sol & solus est, cum hoc astrum stati adeo & luminis & motus sit, vt quod accedens vrit, abscessu temperet, in medio planetarum a summo opifice collocatus, vt & mundum hunc inferum & superum illum corporeum, si licèt dicere, quadam in temperie conseruaret: sed nec luna huius maleficij accusetur, quæ & ipsa ordinatim illustrari per mensem à sole solet. fixæ stellæ, quæ vna cum primo mobili quotidianum circuitum non minore suauitate, quàm celeritate conficiunt, malefacti huius suspicione vacant. in quapiam ergo pluribusue; inerrantiũ stellarum huius mali origo & culpa est: non ꝙ

ſaturnus, verbi cauſa, & Mars corpora vegetiſsima naturæquè iocundiſsima malè afficiendi vllius corporis vim habeant, ſed quia vel malè affectis ſunt noxia, vt lux lippoſis, vetuſtis rebus & tempore confectis lumen ſol cadaueribus, vel aerem præ tenuitate mutatu facilem immutat, quod aliqui accidere opinantur, quod cœlum aeri certam vim imprimat, alij ſuſcitatis terræ ſpirationibus, & Hæc Aætij, hæc Galeni, hæc Ariſtotelis, & phiſicorum principis Hippocratis eſt ſententia: Hinc ſtatus certorum temporum: hinc ſecretæ, vt docuit Auicennas, cœlorum influxiones petendæ ſunt, nam vt ſyderum varia eſt, & lux & motio, ſic eſt interdum penè abdita conſpiratio non modò aſtrorum, ſed ventorum & qualitatum, tum inter ſe ſe, tum verò cum ipſa virtute ſolis. quem enim non vulgare morbos dixi, nunc malè apto aere & animante exceptum alieni caloris eſcam ad vulgares morbos accendendos & efferandos acerrimum eſſe cenſeo, ad frigidos cum abſcedit, ad calidos autem cum ſuperſtans vrit, humor ſcilicet & calor nimius putredinem, & putridos morbos, quo genere continentur etiam variolæ, ſuſcitat: at huiuſmodi qualitates non ſolùm aura, ſed etiam ſolis verſio inuehit: per ſe quidem calorem & ſiccum ferens, quatenus illuminando calefacit, per accidens verò & receſſu frigus humoremquè. Hac de cauſa cum anni partibus Hippocrates ſic miſcet ventos, vt quid morbidi quouis tempore ferre poſſint & vſu & ratione conſtet. ratione quidem, propterea quòd eorum certa vis quaſi elementum quoddam cum partium anni temperie miſtũ proponitur per aliquot aphoriſmos: vſu autem, quia hiſtoria vulgaris non paucis exemplis idipſum monſtrat. Videamus ergo quod anni tempus, quod flamen hac fæditate reſpergat corpora æſtate ſudamina, vt dixi, Sola caloris vi, abſq; febre citra putredinem efflorеſcunt. eſſeræ pariter per æſtatem: ſed aliquando à febre emittuntut: petechiæ illæ tenuiſsimæ nullo non viſuntur tempore, ſi febris ſit exurentior. quæ ſi magis adhuc maligna ſit, genita ſcilicet ex craſsiore bile, craſsiore dico ob aduſtionem, petechias edit maiuſculas: ſicuti maximas & nauiter conglobatas emandat, vel ardentisſima, vel certè peſsima eximiam ob putredinem, quæ omni quidem anni parte, at potiſsimum æſtate viget: vnde Hippocrates,
3. Epid. „ quem ſequitur etiam philoſophus, æſtate inquit carbunculi, papu-
ſect. 3. „ læ item magnæ, & alia, quæ putredo vocatur. quam veritatem hi-
t. 50. „ ſtoricè enarratam in aphoriſticas. leges referens ait. æſtate oris vl-
„ cerationes, genitalium putredines, & ſudamina: miſcet hic Hippocrates iniuriam ſolis & tempeſtatis malæ: Sudamina enim æſtatis pro-

tis propria sunt, putredines genitalium non mera vi æstus, sed æstus putridi iniuria vigent: vlcerationes autem oris magnæ quidem ac putres putridæ tempestatis, paruæ autem æstiui temporis, vt æstiuum est, videntur germanæ; iam & variolarum soboles omni quidem tempore, at non propriè æstiuo concipitur: tempus enim hoc & putredo per ipsum genita videtur acrior, quàm vt variolas possit vulgare, cum vel hyems & ver paulò ardentius non variolas modò, sed etiam pethechias, vt videmus, ferat, nec vnos pueros, vel certè potissimum fedarent, si æstate, nedum autumno, quem Hippocrates dicit perniciosissimum, peruulgarentur. vernũ igitur, & hybernũ tempus ad variolas videtur pronũ: hoc in pueris, illud præterea in adolescentibus, & iuuenibus. ver enim calidius est hyeme, igitur si par sit caussa, hyems eam duntaxat accendit naturã, ætatem fædat, quæ maximo calore & humore viget, scilicet puerilẽ: ver autẽ, in quo diutius iam & bilis & ventus biliosus manet, etiam prouectiones contaminat. flatus verò, qui malã hanc inspirat prolem, non est rigidus aquilo; putredinis non delator, sed expiator, non merus auster, nam pluuius maiorem, squallidus acriorem ingignit putrefactionem, non tam benignam, vt in variolis: sed vtriusque conuenientia, quæ talem caloris, frigoris, humoris, & sicci gradum ingeneret, qualis ad talem acrimoniam, & crassitudinem biliosi humoris coagmentandam sit necessaria: huiusmodi autem erit, si auster spiret, flatus naturà calidus & humidus, pustulosus vlcerosus, putridus, si adspiret modò siccus, modò pluuiosus, omnino tamen halituosior: si aquilonibus modicè temperetur, ne vrat nimium, neue nimis crassescat sanguis, quia boreas extenuat, auster crasse facit. si certa austri species vigeat, si debito interuallo duret, si proxima æstas fuit non calida, sed subaustrina, borealisq; non parum repressa spiritu: huiusmodi autem auster non ille medius est, qui magis vrit, sed collateralis dictus, qui prope illum surgit, phænicias, & subsolanus. libonotus & ibs venti sunt magis occidui, & temperati, qui vix sacros ignes, & eos benignos vulgant: illi ergo post minimè calidum annum modò pluuij, modò sicci spirantes, idq; hyeme, ac verè, crassum quendam & humidum, bullosum, sat acrem tamen bilis & ichoroidis sanguinis modum ingignunt, qui fundi per variolas aptus sit: ichor naturam sequitur sanguinis: attamen aliquando ichor augescit prius, & cum eo paulatim sanguis accenditur, quæ optimè callens & Rasis & Arabum medicorum princeps variolas gigni dixit, cum venti australes spirant, non scilicet ita intensi & diuturni tantaq; absentia æthe-

Quod anni tẽpus, quæ tempestas vulget variolas.

siarum

siarum, vt cum in vulgus petechiæ, & malignæ febres grassantur, quia id genus pustularum ex mitiore, minus vsta & concreta bile in nascitur, non ita etiam & remissi & breues & subtiles, vt cum morbillos vulgant, sed medio modo; magis tamen aliquando, vel ad vnum vel ad aliud extremum vergentes. Hic ventus, hic spiritus est. P. optimi, quo Deus pater omnium paruulorum pueros in cœlum vocat, stellas, vt Baruch dicit, vocans, per stellas halitum, per hunc ventos, per hos verò hanc illamue ætatem aut omnes, vt pestilenti statu.

Variolæ difinitio perfecta constituitur.



AVSSIS constitutis, fit variolæ definitio, pustula rubens & bullosa, quæ ex sanioso, bilioso, ichoroide, ampullosoq; succo concrescens, idq; ob austrinum ac fædum victum, à natura valida vtiliter ad superficiem extimam funditur: vbi pustula genus est: rubens & bullosa differentiæ, à quibus variola, quatenus pustula quædam est constituitur. mox vt materiam addidi ex sanguine sanioso, bilioso, ichoroide, ampulloso, vt à pustulis diris, à pituitosis, à morbillis, à petechijs, cæterisq; pustulis distinguatur: fiunt quippe ex dictis causis, effectricibus nempè subiectiq; propesione, hæc quinq; : plenitudo, cacochymia biliosa, putredo, febris, & quædam cum bullis fermentatio, calidæ impuritatis propria; præserrim cũ febre: nam & si sine febre etiam, vt in lepra, fit, fit tamen cum febre inflatior, atq; acrior, cum febris vi & putredo & acrimonia & inflatio & vis fermenti increscat maior, si præsertim febris etiam existat synocha, vel ardens notha: germanæ ardentes magis contabefaciunt, quàm fermentando inflent. huc accedit, quòd cum febris humores agitat, non solùm, quod actu putret, sed etiam, quod semiputrè, ac semimalum à Galeno dicitur, subacescit, & perturbatur; atra demum bilis, cui ferè vni inter succos fermentationis nomen à priscis tributum est, aliàs concreta sæuit, vel incipientibus vt senex obseruat, morbis, aliàs verò, vt Galenus docet, à putredine, à febre fit: fermentũ igitur hoc malum sanguinis vel cum febre vel sine ipsa est: cuiusmodi autem in variolis istud fit, dicam paucis, postquàm gignendæ variolosæ bilis modum tradidero. calor enim alienus, siue ciborum siue ambientis, primùm calefacit, secundò vapore implet. tertiò sanguinem, quatenus ab alij succis dinstinguitur, nonnihil

Gal. 14. meth. 9.

nihil auget; austrinus enim calor, priusquàm bilem augeat, vt biliosus, & acriter calefaciens, is, inquam, vt temperatior, sanguinis aliquam copiam affert: quia minor alterandi & agendi gradus in eadem actione corporea & corruptrice necessariò præit maiori, cum immutatio isthæc & in tempore & per gradus fiat: cui rationi & euentus subscribit: pueri siquidem, qui propediem sunt variolis laboraturi, paucis ante diebus turgiduli videntur, summumq; valetudinis assèquuti: cumq; iam ægrotant, rubent oculis, & superficie: pulsus obrutos habent, corpuscula onusta sanguine, sed bilescente: bilem enim ichoroidem ingignit auster: auget putredo, acuit febris, adeo vt iam cacochymia comes plethoræ sit. primùm quando in venis plethora, extra venas cacochymia viget. secundò cum non vera in venis copia, in qua scilicet omnes succi, ijque non citra mutuam proportionem sunt aucti, sed quædam duntaxat redundantia sanguinis, aliquis excessus premit iam dictæ bilis. tertiò, quia hic cum putredine repletio etiam ad vires est, non ad vasa, vel certè non ad hæc solùm; vbi autem id mali premit, ibidem, Galeno authore, corruptio & cacochymia suboritur: est igitur in variolis quędam plethora & cacochymia, nempè biliosa, ichoroides, & ampullosa à dictis causis genita, & ex hac fermentum illudq; saniosum ingignitur: Qualis enim corruptela, tale etiam malum fermentum est. Sed bilis variolosa saniosa existit: igitur & fermentatio: variolas quippe, si cum petechiarum natura conferas, benignam dixeris: benignitas enim, vt ciborum exemplo constat, dulcore quodam facilitateq; continetur: cuiusmodi vlcera illa esse puto, quę Auicennas dulcia, quasi benigna dicit. est autem variolarum soboles benigna dupliciter: primùm quia expungit minus: & si enim non rarò morosam fricationis necessitatem inferunt acrimonia: mitius tamen per eas, quàm per petechias, agitur, in quibus ob maiorem vstionem sanguinis vel intemperies facta est æqualior, vel materia crassior: quàm vt molestæ huius titillationis laborem inferre, possit; quem tamen à variolis excitari, conspicimus; tanquàm his, quæ tenuiori concretæ succo inæquali etiam & acri magis intemperie sensum fatigant; quod ita se habere, metipsæ probant; ex quibus deteriores haberi debent, quæ, vt de carbunculis etiam Galeno authore dixi, sine vesica protuberant: tales nimirum tantum feruoris habent, vt vel cuticulam illico amburant, vel quod magis rationi est consentaneum, obustionem conglobatiores sine vesicula, sine ichore erumpant, & cutem, vt atræ, atrent: Hæc igitur prima causa est, cur variolarũ genus periculoso

Gal.2.de deff. feb. 11.

Auic.lib. 3. fen. 5. tr.2.cap. 5.

existat

existat mitius. Secunda est, quiæ, cæteris paribus, facilius ab arte & natura curari; solent, putredo enim & bilis isthæc variolarũ non est adeo graueolens vt in petichijs, sed mitior, & saniosa, ciborum nempe concoctioni assimilis, quos & multos ingerere pueri consueuerunt. Huiusmodi ego bilem, saniosam dico, in excretis nonnunquam vidi, rarò tamen, & idcircò rationem addo. sicut enim suppurati emittunt pustulas. 2. prognosticorum. 60. sic qui per febrem sanguis pustulas hasce pingues bullosasq; non ita ob intestinam febrem & putredinem exustas eiaculat, si non sanies, subsaniescens saltem, hoc est dulci & miti quadam putredine sit correptus, necesse est, quæ cibi instar non ægrè à natura concoqui, & superari, queat. est enim proportione respondens concoctio vasorum puri. 1. de diff. febrium. 6. & 1. progn. co. 42. pus autem inter cibi maturationem & putredinem tetram interiacet: quæ igitur puri est assimilis maturatio humorum ac pustularum ad dulcem facilemq; cibi maturationem accedere, fatendum est. Quoniam autem huiusmodi putredo aliàs etiam citra variolas contrahi solet, illud addo, ita puris naturam ab hac putredine & materia participari, vt quæ sui est tenuitas (in respectu petechiarum) atq; facilitas, statim à calore & igneo & naturali acta statim etiam crassescat, vel in cute duntaxat, cum eò tota abscessit, vel etiam in venis, quando ibi germen relictum est: crassefit quidem etiam sanguis periculosus, præsertim malignior, at non ratione maturationis, sed vredinis potius: cuius notas vrina edit, vel perlucida & biliosa, vel obscura & atra, in omnibus perturbata, nisi vel ad cerebrum bilis surgat, vel iam restingui natiuus calor incipiat. huius autem deniq; varietatis caussa est substantia, qualitasque succorum varia: qui in petechijs crassi & exusti, in variolis tenues, humidiores, ampullosi depræhenduntur: ampullosa, vt dixi, bilis, bullosus ichor cum tali crassitudine & calore: hæc demum materia variolarum est. quæ varietas in tempestatem deniq; plus minus acrem putrem & diuturnam refertur: ichor siquidem & bilis variolarum, & si non recens omnino est, sat tamen recens est: non diuturnior, vt in petechijs, non est recens, quia si qui pueri vel statim atq; fœda illis tempestas incipit, laborant, vel statim affecti ægrotant, ijs vrinæ, nares alui subtilem materiam excernunt. qui autem vel tardius afficiuntur, vel diutius hũc fœtum gestant, ij variolis deturpari, solent. Quòd autem hæc ipsa proles minus, quàm in papulis, antiqua sit, probant esseræ, tenuis & recẽtis humoris soboles, quæ cum variolis non ita cum petechijs coire solent: sed & eundemmet ægrum

primùm

primùm esseris, deinde morbillis & variolis, postremo petechijs interdum fædari, argumento est magno; in his densiorem præ vstione sanguinem, in illis tenuiorem existere: in papulis ampullæ caloris vi dissipantur; in esseris & morbillis nundum inflantur: in variolis extumescunt. Quamobrem & affectus, qui à tali bile & ichore in his febribus ingignuntur, plenitudo scilicet cacochymia, putredo, fermentatio, isthæc omniam ampullosa sunt, multo referta spiritu, & satis inprimis dulcia, non tam acria & corrodentia, vt terram rodant, qui supremus est gradus fermentationis à Platone Galenoq; traditus, non vrinas valde turbantia, de quo gradu in porrheticis quædam Gallenus habet, sed cutem duntaxat superficiemquè intimam aliquando corrodentia, intus verò sanguinem fermentantia, qui actu putret, non eum, qui semimalus est, vt in maiore malo; si variolæ cum atris petechijs complicantur, hoc vtiq; etiam maleficij patrant, aliàs verò mites, & ampullosæ sunt non ob vstionem, sed ob flatum humori mixtum: quo ex numero, & exanthemata esse puerorum cum cæteris collata, quis renuat? pueri siquidem bilem & ichorem habent bullarum ac spumæ plenum: vnde Aetius infantium exanthemata & ampullas cum exitura curat. Denique additum est à valida expultrice vtiliter ad cutem mittitur, eò quia variolæ sicuti nunquam præ langore virtutis suapte impetu prodeunt, quod petechiæ malignæ faciunt, sic vtiliter semper relegari ad pellem solent: vti etiam papulæ generatim, nisi intermoriendum exeant, vel iam moribundo ægro: extenuatur enim per eas copia & prauitas, vnde vt Sileni exemplo apud Hippocratem & Galenum legimus, si non contrahitur, certè protrahitur earum exitu vita periturorum.

Plat. in Timæo. Gal. 14. meth. 9. 2. de nat. fat. capit. vltimo. 4. aph. li. de atra-bile. Aetius lib. 4. ca. 23.

Variolæ anni huius grauiores fuerunt, & cur vulgatæ.



AD grauiorem autem variolarum modum spectare has nostras & grauiorum accidentium, & caussæ ratio probat, austrinæ videlicet tempestatis: quæ & æstuosior, & magis æstati assimilis, & diuturnior fuit, quàm, quæ superiore, & anno & hyeme morbillos fudit; morbillus quippe tenuior est sanguinis soboles, quàm variola, sanguis videlicet biliosus quidem, sed vel ex ichore sanguinis perusto genitus vel certè ex rubra sanguinis portione, quæ non ma-

gnum

gnum æstum experta sit: igitur, quæ tempestas morbillos fundere solet leuior, eadem paulò auctior & diuturnior variolas perulgat, calidior videlicet & humidior, crassiorem foris aerem, intus spiritum & sanguinem ferens: aer siquidem nos, venti aerem afficiunt prout affecti sunt: auster itaq; vel naturà, vel ob maiorem aquilonis reflationem subtilior morbillos affert, vt anno elapso, in quo austri cum niuosis aquilonibus cum siccantibus, extenuantibusq; ventis magna facta fuit permixtio; auster autem vel suaptè natura crassior & calidior, vel non ita extenuatus à borea crassiorem & bilem & sanguinem, & pustularum colluuiem generat, sed naturà subsolanus videtur tenuior: crassior autem, & calidior est phænicias, sicuti crassissimus omnium est verus auster, qui ostro dicitur, niuosus aliquando, cum pluuius aquiloni valido occurrit, quo tempore variolas magis, quàm morbillos infert. igitur phænicias & ille plerunq; siccior huic anno funestus est, pluuiæ per hyemem præcesserunt, fateor, sed non boreales fuerunt: nedum niuosæ, & rigidæ, quæ munire venas & meatus possent aduersus austrum: auster si quidem laxat, & fundit, boreas è contra cogit. hic refrigerans etiam exsiccat, ille autem humefacit, vt vapor, calefacit, vt calidior, laxat vtranq; ob caussam, quia calor penetrat, humor emollit, vterq; laxat, dissoluitq;. ergo pluuiarum copia prægressa non fuit repagulum aduersus vim austrinam, sed præparatio magis obnoxiorum: & si altius mali caussam indagare, libet, æstas præterita humore quodam repleuit corpora, crudo illo, præsertim per autumnum, vnde charitas orta est rei miliaceæ: æstuosa tantùm sub cane fuit, sicciore austro & vberiore, quàm tunc temporis soleat, spirante: sed ante messem austrini venti ac pluuij multi, à quibus annona frumentaria vberior facta est: nam satis, vt scribit philosophus, auster pluuius amicus est, infensus nobis: siccior autem & nos & arua vrit, æruginem, carbunculum in vitibus & plantis excitans: itaq; humido calorem vincente, iam tunc humoris multum, caloris etiam nō parum aggregari, cæpit, præsertim in humidis temperationibus, & naturis, vnde febres aliquæ acutæ, diurrheæ verò ac dysenteriæ non paucos afflixerunt. humor autem hic principio ichorosior, in ijs dico, qui postea ægrotaturi erant, tempore crassefactus factusq; biliosior; in hyemē non, vt opus erat, borealem sed pluuiosum incidens, non solùm non est explosus, sed auctior modico quouis austro & pluuioso augeri, & sicco exacui, & sic putrescere, fieri natura grauior, fundi in variolas incepit: quæ sensim, accenso cœlo non

mitescen-

mitescente, ad summum hunc vigorem elatæ sunt, in quo eas & frequentes, & vberes, & turgidas, & inflammatas & complicatas, & atratas intuemur, ac pertimescimus.

Problemata explicantur.



VR antiquorum multi variolas distinctè non agnouerunt? An quia inuenta & scripta perficere non potuerunt? An quondam fuit, vt homines ferinam vitam ducerent? feras autem, quòd nimis crasso alantur cibo, & sanguine, variolis non fædari, constat? An ciuitates antiquitùs & paucæ, & pleræq; in editis locis conditæ, & alpestribus, non adeò, vt variolæ sunt, humidis morbis erant obnoxiæ? An quia nundum erat tam vario fœdoq; accessu recessuquè aquarum præsertim salsarum aer mutatus? An quia erat præterea victus etiam tenuior, extenuantior, frigidior? nam & à prandio multi abstinebant, & ordeum, glandes, aqua, magis in vsu erat. An quia his de causis nundum erat fœdè adeo immutatum semen, vt ex eo fœda hæc soboles duceretur? si enim morbi, vt author est Diuinus Hippocrates, mutāt semen multò magis immutatū semen specificū & humorē & calorē & temperiē, & purgamēta, & morbos mutat. dantur enim speciei ægritudines: & sicuti in vno eodemq; homine tempore fæx multa subsidet, sic in humana specie per decursum mundi ex sanguinis limo lepra, deinde accedente malo & acri spiritu, acutæ pustulæ, febres, & pestis oborta est itaq; & variolas tandem semen tulit limosum simul & bullosum ob cruditatē diætæ auctæ & puto hæbreos pueros antiquissimè luem hanc vel similē contraxisse: cum, vt fœdi, proponantur. 1. regum 18. fœditas autem isthæc nec ferina illa sit, nec alia esse posit, quàm turpitas pustularum: addo quòd hæbrei si non prandebant, vtebantur frumento, vino, non valdè distabant à mari. accesit postea obscænarum ciuitatum limus, & respiratio, humens, bullosa, aquea calens vt ignea, acrior, vt salsa, menstruo affinis, vt bituminosa, vti etiam lacus, terraque illa est. Num igitur hæreditarium est, variolis ægrotare? vtique, si speciei labem insequimur: at nō semper ratione propriæ labis parentū, eo modo, quo hæreditarios morbos medici obseruarunt, cū sæpenumerò videamus à parentibus filios putredine hac vel correptos vel nō corruptos degenerare. Quòd autē pueri potissimùm hāc fœditatē cōtrahant, Auicen. reliquias incusat sanguinis mēstrui: non ꝙ eo alatur fœtus, alioquin rectè Auenzoar Auice. reij-

Hipp. lib. de aere lo. & aquis.

ceret,

ceret, ſed quia naturà comparatum eſt, vt per ætatis temporisq; decurſum asſiduè fœx ſanguinis, quæ menſtrui qualitatem participat, expurgetur; & quominus ab ortu recesſimus, qui ſordium plenus eſt, eo maior in humore & calore ineſt impuritas illa calens, quia & ſi calor eſt vegetus, attamen, vt eſt copia plurimus, ita eſt qualitate fœdus, cum nundum ætatis perfectæ curſum expleuerit: hoc autem ita ſe habere, alterum extremum probat, ſenectus ipſa, in qua calor & humidum non modò ſunt expurgata, ſed imminuta intabeſcunt ex cibo crudi duntaxat multum gignentia. Num igitur problemati ſatisfactum eſt? non equidem: inprimis enim non ſolùm ſanguis meſtruus, ſed ipſum etiam ſemen, ſiuè maris, ſiuè etiã fœminæ, incuſandum eſt, cum & hoc, imo verò magis quàm menſtrua materies, ad ortum concurrat: reſponſum etiam nec propriè explicat, cur puerilis natura rubentem, albeſcentem, ampulloſam, pruriginoſam puſtulam generet. ergo problema explicantes dicamus, primùm generatim hanc luem pueros præſertim fœdare, quòd ij etiam natura fœdi ſint. Quid non igitur & ſenectus eſt huic fœditati obnoxia? cum & ipſa ſit fœdior, quinimo, vt docet philoſophus, putredo ſit? An hoc ea de cauſa fit, quòd ſenilis ætas moritur magis, quàm effloreſcat, cum illi iam ferè eum natiuo deſit etiam alienus calor? Cur autem pueri fœdi ſint, humoris & caloris nimij culpa eſt, quo illi abundant, tanquàm adhuc proximi ſatis propriæ conceptioni: quæ ex ſemine multi caloris humorisq; beneficio formata ætatis ac temporis vſu dolatur, ſicceſcit, & quadantenus temperatur. Cur autem ex tali temperie variola in pueris ſuccreſcat, in cauſa eſt talis humor, qui ex temperie, quaſi à ſemine radix, expullulat, bilioſus nempe ichoroides, ampulloſus, ſalſus, acrior; bilioſior, quia pueri, cum naturà calidi exiſtant, & tenui, vt ait Auicen. ſanguini præditi, facilè immutantur, bileſcuntque: ichoroides, quia crudi humoris non parum ineſt: bulloſus, quia & huiuſmodi vt docet Ariſtoteles, eſt concretio ſeminis, ſpumans ſcilicet, & præterea menſtrui qualitas quædam relicta craſſitiem humori addit, vt non ita facilè detumeſcat, cum ſemel in bullam ſurgit: ſalſus eſt poſtea, quia pueri ſalſum ichorem habent, non longinquo vitæ vſu, vt in ſenibus & Gallis antiquis fit, ſed ob vim innati caloris plurimi exacutum: cuius vi & eorum vrina, vt Auicennas docuit, ſalſa eſt. his cauſis addo expultricis robur, pellis tenuitatem, animos hilares fundendis purgamentis aptos, non retradendis, vt triſtiores: animus ſcilicet geſtit. expellere. acrimonia illa ſpumans, quaſi venus & libido quædam venefica, e x ſemine ac

Auic.lib. 3.fen.18. tr.2.cap. 18.

ſpuma

ſpuma ſurgens, ſolicitat: facultus robuſtâ explodit: pellis admittit: laxante potisſimùm & ciente auſtrino ſpiritu; qui priuignus eſt valdè acerbus puerulorum; pueri enim natura humidi valdè & calidi, calido & humido ſtatui auſtrino ſcilicet varioloſo aſſentiuntur, quia naturæ affines morbis & cauſis eorum vim, vt Hippocrates Galenusq; docuerunt, promptè excipiunt. calor pueris adeſt innatus plurimus, plurimum aquæ, plurimum aeris, plurimum ignis, ſed impuri & crudi in eis viget, qui ſiue concoquat, ſiue inquinet, vi magna id facit: vnde bonus pariter & malus ſuccus, præſertim ichoroides, citò in illis ex creſcit, acceſione potiſsmùm aeris & flaminis humidi: quod cum calore plurimo ſanguinem nactus tenuiorem facilè puerilem naruram corrumpit, efficiens, vt cum ichore & bilis creſcat: hæc enim crasſior, ille tenuior: & facilius iubente cœlo, proprios excedit limites, quam bilis; & ſi quis mihi non credit Hippocratem & Galenum adeat. 1. de morb. vulgar. par. 2. tex. 40.

Quòd autem infantes ex vtero hanc luem ferant, partim eadem, partim maior eſt ratio, propter vſum ſcilicet recentem vterini, & materni paſtus: qui à communi cauſſa excalfactus, & ſi matrem aeri aſſuetam non fœdat, inquinat tenerum fœtum, qui nullo implicamento irretitus inſuetum aerem haurit, qualis per aurã adducitur.

Cur autem Brixiani pueri videantur præ cæteris ad hanc labem procliues, præter diætam craſſiuſculam, in cauſa eſt vrbis ſitus, quæ vt ad auſtrum pertinet, auſtro, vt elatior & pene alpeſtris, ſicco auſtro læditur: collibus etiam iugisq; boream verſus eſt obuoluta, vt inflexionem ſentiat auſtrini tactus, partim à iugis, partim ob eorum faucibus reflantibus repercusſi.

Sed cur, ſi bilioſus morbus iſtè eſt, vrinæ plerunq; albeſcunt, & inchoante, & vigente malo? an quia vel ad cutem bilioſus humor contendens, vel ad caput ſurgens, vel omnino cum multa crudioris ichoris copia permiſtus (crudi ſcilicet ob putredinem) mictionem ſubalbam relinquit? an quia tanta eſt interdum & copia & crasſitudo peruſtæ bilis, vt gibba cauaque pars iecoris obſtructa bili aditum præcludat ad urinas & egresſiones? & rem ita habere probat, inclinante morbo bilem iam extenuatam, vel per mictus, vel per aluum, vel per vtranque regionem duci.

Cur ſi latæ puſtulæ, vt minus calidæ, non valdè pruritum excitant, petechiæ, quæ variolis minores, & vſtiores ſunt, non magis ſenſum ſolicitant? An per latas intelligit, quæ non mucronantur? vt

petechiæ? An regula illa Hippocratis per se,& cæteris paribus intelligenda est? petechiæ autem, vt nimis vstæ, ichorem fermè ami serunt, cuiusui pustulæ sensui mordaces sunt? & si enim mordax est bilis, attamen cum densior ichore sit, vel non mordet, vel magis mordet, quàm prurigo ferat.

Cur plerisq; dextera pars prius tumescit? an quia inde motus principium naturà fit, vt docent philosophi? quo fit vt eò etiam ex iecore, quòd rectà dextro lateri respondet, materia surgat.

Cur aliqui crura dolent, & iactant? An quia eò acrior colluuies descendit, optimus siquidem Platoni motus est, qui à seipso fit, malus qui ab alio, quibus tertius adnumeratur pharmacorum & venenorum.

An variolæ sint venenatæ, sint pestiferæ, patentis ne, an abditæ qualitatis, in controuersiam vocari potest. nam Manardus lib. 7. epistolarum epist. 2. & lib. 13. epist. 1. morbillos pestilentes dicit: veneficam illis vim tribuens, & pestilentem, occultam tamen: & videntur illius sententiæ fauere & Rasis & Auicennas Rasis enim variolas pestem vocat: hic verò cum eas tractet post febrem pestiferam, occultumq; in eis aliquid esse dicat, palam videtur eas, tota, vt aiunt, & oculta ratione substantiæ, maleficas constituere. Attamen quid occulta opus est, indagare, si explicata, patensque eorum species problemata explicat? Quod aliquando quibusdam pueris sint pestiferæ, negat nemo: attamen propriè pestis non sunt: cum non pariter afficiant senes, ac Iuuenes, calido vel frigido vtentes victu: & hæc ipsa est sententia Auicennæ qui post febres pestiferas de his agit febribus, quæ variolas emandant, non vt pestiferis, sed potius vt à typo declinantibus pestilentiæ: alioquin vno eas capite complexus fuisset, & qui à simplicissimis ad pessimas, ab effimeris ad pestilentes progressus est, idem ab hoc summo apice ad mitiora rediens de variolis & morbillis agit: tanquàm his, quæ aliquam cum petechijs & vere malignis febribus affinitatem habēt, quando scilicet celeriter aliquos magis paratos iugulant, quæ calamitas, si communis esset, caussa etiam, auster, inquam, esset pestifera, & pro variolis atras petechias, carbunculos, bubones, & acutissimas febres ferret. Cur Auicennas occultum quoddam in variolis collocauerit, explicat, scribens, proportiones rerum ignorari in hac vita: vnde seu ab austris aer, siue aer à ventis mutetur, mutationis gradus & virtus non ita semper patescit. Non igitur propriè veneni vim obtinent, at veneno assimiles dici possunt,

quando

quando & celeriter & multos necant, præſertim cum petechijs, & puſtulis grauioribus, quales à venenis illatis protuberant. Hinc & alterius problematis veritas patet, cur hoc anno multæ veneni ſuſpiciones & controuerſiæ auditæ ſunt. hoc auſtrina tempeſtas, præſertim ſub cane, vel paulò poſt canem tulit, partim exacuto ſanguine ad lætalis medicamenti modum, partim autem prauis hominibus ad veneficia irritatis: auſter ſcilicet foris eſt lenis, intus acrior atquè veneficus.

Cur autem variolis debaccantibus, aluus aliàs vel principiò, vel in fine morbi profluat; aliàs verò ſit reſtrictior; cauſam cenſeo duplicem. primam refero in diuerſitatem cauſarum effectricium, quia rationi eſt conſentaneum, cibis prauis impuritatem gignentibus, cauam obſtrui hepatis & ſic aluum ſiſti, cum verò tempeſtas lædit, obturari gibbam, & fluente aluo, mictum imminui. Secundam verò cauſam arbitror, eſſe auſtrum, vel ſiccum vel pluuium. hic enim vt 3. 3ª. epid. legitur, cum toto corpore aluum laxat, ſiccior verò cutem mollit, ſed obſtringit ventrem.

Cur alui fluxus aliquando bonus, aliquando malus ſit, ratio eſt, quia interdum iudicialis, hoc eſt ritè benequè ac pro bonarum expulſionum lege de morbi exitu decernit. quandoquè autem merè eſt ſymptomaticus, laborioſus, dyſſentericus, torminoſus. Auicennas Gordonius & alij, aluum fluentem præſertim cum tumoribus verentur: at nos & alijs annis ſalutarem in fine, & hoc anno etiam inter initia vtilem obſeruauimus ad præueniendam copiam huius turpitudinis. turbat vomitus: quid mirum? copia, mala qualitas, concitatio humorum, & ſæpè ventriculi repletio, vomitum & ventriculum laceſcunt, & cum ventriculus nil ſpurci habet, nihil euomitur.

Cur in variolis dorſum magis, quàm in morbillis doleat? An quia craſſior eſt bilis, quò fit, vt motu fatigata & dorſum fatiget.

Cur vbi ad imas plantas variolæ efflore ſcunt, ferè non datur denuo eadem turpitudine inquinari? An quia inde pululans hæc labes, vnde multo negocio & præter genium ſurgentis bilis ſolet erumpere, eà expletam eſſe mirificè vim putridi huius ſeminis, indicat, ſicque non relinqui germen in naturæ ſolo, quod deintegro in hanc obſcenitatem pullulet.

Cur vbi quis variola per fædam cœli tempeſtatem tenetur, relabitur magis: quàm ſi ex victu priuatim tabum hunc contrahat?

An quia aeris fœditas perdurans potest de denuo reliquias excitare?

Cur quibusdã variolarũ vestigia immanẽt, quibusdã obliterãtur? An quia cuticula vel regeneratur, vel præ tenuitate, inæqualitatis mendum non profert? contrarium verò in cute accidit. itaque fit iure merito, vt vbi hæc altius exeditur, vestigium contrahat, epidermis nequaquàm.

Quandiu variolæ hoc anno grassaturæ sint.



VANTVM sit duratura hæc lues, non est dictu facile nubium scientia, tempus nosce, Diuinum est. Quod ratio dictat, toto vigelit vere, & non nihil etiam æstate prima: ver enim, præterquàm quòd corpora, qualia exceperit, talia asseruat, est etiam subaustrinum: æstas autem incipiens, si lenis, bilem non excuti. si calidior, agitat: ea est demum naturæ nostræ calamitas, vt quæ semel per tempestates corruptela irrepsit, non nisi à contrario & diutino spiritu expietur, alioquin biliosi latices tempore in latibulis efferantur, & quandiu immanet aliquid alieni calidi, quisquis ventus afflet, qui non sat diu sit frigidus, pabulum quoddam illius est, paulatim augens impuritatem. interim ergo Iuuenes moneo ita viuant, vt non vrantur acutis febribus; video enim hos morbos sic variolarum puerorumquè fines excedere, vt attingant limites proximorum cum enim pueruli atram bilem ingignant, humorem longè à dulci eorum natura alienum, verendum est, ne eiusdem causæ prauitas iuuenes aliquando simili morbo accendat.

De Complicatione, gradibus, signisq; variolarum, tam prognosticis, quàm diagnosticis.



ECENTIORES variolarum signa diligenter fideliterquè enarrauerunt. at ipse vtilius futurum esse, existimaui, si, ommisis superuacaneis, breui aliqua methodo eorum capita explicarem: quæ sunt, idæa signorum, & res à quibus indicia petenda sunt. ac signorum quidem ratio tripartita est, diagnostica præsentium, prognostica futurorum, & anamgnistica, hoc est, vt dici solet, rememoratiua præteritorum: res autem, à quibus debent signa capi, sunt hæ: variolæ, quà pustulæ, affectiones cum variolis complicatæ, & earumdem gradus ex more surgens, quem earum & complicatio & natura parit. agnitio variolarum, vt sunt pustulæ, sensus ipsius est: vt variolæ, versati oculi, qui eas viderit efflorescere, morsibus culicum maiores, elatiores morbillis, rubicundas, sed cum acumine, quod albescat: & sæpè cum areola circumfusa pariter rubescente: earum caussa, humoris nempè species ex colore patet: ex vrinis non ita: primùm, quia bilis, vt dictum est, à vijs vrinæ auertitur. deinde viridis humor, ille crudus in ventriculo genitus ex cibis calidis, quo plurimo abundant pueri, per vrinas funditur, dū variolas alius humor facit: si quis humorum signa nosce cupit, Galenum legat. 4. de tuen. valetudine cap. 4. Huc etiam referri debent signa diagnostica affectionum, quæ cum variolis conspirant, signa inquàm plenitudinis & prauitatis humorum à sanguine distinctorū. signa fermentationis, putredinis, febris & superuenientium, vt erysipelatis, inflammationis. clarus enim ad aspectum est ignis sacer, in facie præsertim, quò & statim biliosus sanguis in variolas concreandus surgit. inflammatos etiam tumores in gutture obduci per variolas, certum est, eosdemq; interdum concrescere. Auicennas in diaphragmate, quod & septum transuersum dicitur, membrana pectus à ventre subiecto separans, inflammationem oriri, scribit: & quid mirum, si etiam iecur malorum fons eosdem tumores contrahat? signa plenitudinis trita sunt: grauatè corpus vel iacet, vel agit: turgent venulæ. rubet color: sed vt plenitudinē puerilem notat, rubens albescit, vt variolosa & putrida, præsertim cum febre,

tactum expungit multò cum halitu: iam & signa fermentationis patent, sed non statim, cum vrina, partim ob cruditatem, partim ob secessum bilis & sanguinis albescit: magis verò visuntur, cum viget morbus, præsertim in cute tumida, inflammata, corrosa, putri: tubor magnam in sanguine fermentationem idest ardorem putrem, tumidum, bullosum indicat, sed abscedentem à centro ad cutem, vbi & bullæ visuntur: signum toties à Galeno relatum, quoties defermentatione grandi loquutus est. putredinis signa nimis vulgata sunt. At in variolis mitioribus copia magis vrget, quàm putredo & prauitas: putredo enim est saniosa & prauitas facilè vincitur, cum non sit acrior, sed in malignoribus vtraque grauiter premit, nec solùm obstructionis, sed prauitatis effectus est putrefactio, plurimum quidem à vasorum obturatione surgens, attamen non semper, vt Sauonarola, Auicennas, Galenusquè censuerunt, & præ cæteris causis auster putrefacit, quia, quod putredinem solet insequi, nempe dissolutio substantiæ, id principio patrat ob nimij scilicet humoris & caloris vim laxando, vt putrefaciat. iam & febris vulgatas notas habet. est continua, plerunq; typum referens vel vnius, vel duplicis tertianæ. nonnunquā penè omotona accensa, vt synochos: molesta, vt ardens; sitiunt enim biliosiores, & sicci ventriculo: vruntur lingua cum labijs aphtosis, hoc est cum vlcere, aut etiam sine eo inflammatis, & nigrescentibus: qui autem magis sanguinea natura sunt præditi, æstuant cum rubore, vt fit in synochis: tumor etiam carnis fædatæ subesse indicat caracterem synochæ febris, quàm inflatiuam recentiorum aliqui appellauere: & si putredinis focos adire, libet, in his febribus totum fædatur, sicut in synochis, & aliquando in ardentibus: laborat iecur, vt in tertianis, os ventriculi, pectus, præcordia, vt in eisdem ardentibus, & æstuosis: ergo id genus febrium & affectorum locorum agnosci debet & proprijs notis. Quò autem ad præsentis mali agnitionem optetur nihil, gradus variolarum & eorum significationes oportet distinguere. primus gradus pustularum est sine febre, quando materia vel quantitate est tenui, vel exploditur: cor frigidum in puerili ætate calida & humida arcendæ febris non habet vim. Secundus gradus est quando eisdem erumpentibus febris accenditur, at statim cessat. quisquis enim humor excitetur, acrior naturà est, quàm conquiescens: sic & fulmen atterit, dum vibratur, dum à cœlo extruditur, ita febris & dolor angit, dum pus conficitur: inæqua-
lis

lis intemperies, vt ſenſum, ſic caloris intemperiem diuexat. Tertius gradus eſt cum febre, quæ ab. eruptione adhuc vigeat, vel benignior, quæ in quarta deſinit, vel malignior, quæ vel ſeptimum vel vndecimum vel decimum quartum attingat diem. Sunt quæ ad hæbdomadas perſeuerent. Quantacunquè verò huius generis ſit duratio, & pertinacia, difficultas & prauitas aliqua adeſt ſymptomatûm, dolor capitis, in appetentia, gulæ offenſa, raucitas, & cum exeunt, deliratio, cutis moleſtia, vel principio ſolicitans, multò autem magis, vbi ſuppuratæ ſicceſcunt. His autem longe malignior eſt tertia claſsis: Quarum aliæ occidunt in 17. 14. 11. 7. 4. & ſecunda in ſecunda & quarta occidunt, quæ vel maximam ob copiam, vel præ in ſigni acrimonia & prauitate, vt cum peticulæ, præſertim atræ cum eiſdem viſuntur; ſtatim vitæ principium, cor ipſum & ſpiritum demoliuntur. quæ autem febres vltra id temporis dant iuducias, variolis emiſſis, vel exanthemata emittunt, ſi ſubatra ſint, ferè ſemper, ſi rubea plerun què occidentes, vel ipſæ admodum laborioſæ exiſtunt, in diebus decretorijs peiores factæ. vt enim ventus aeris quædam vnda habetur apud Hippocratem & philoſophum, ſic maligni morbi à ventis potisſimùm excitati per iudiciales dies, quartum dico, ſeptimum, vndecimum, quartumdecimum, & alios, quaſi per vndas quaſdam, mouentur, & furunt: itaque & in varioloſis febribus dies ij addicti iudicio vel nouas edunt aut variolas aut puſtulas, vt petechias, vel noua excitant accidentia, vel excitata efferant; vrinæ aliquando ſubnigreſcentes & conturbatæ febrem diudicant. ſunt autem malignisſima ſymptomata partim dicta, ſed longè auctiora, partim verò hæc. acrimonia inquàm caloris ingens, ſi aliquandiu hæreſcat manus; pulſus obruti, cum inæqualitate ſurgentes, color aut rubeus admodum, & penè flammifer, aut pallidior, ſpiritus laborioſus, præſertim in acceſsionibus inflammationequè diaphragmatis, quæ, præter interſpirandi laborem magnum illud efficit, vt dureſcant pulſus his additur non raro vomitus ad biduum & triduum: turbata mens vſque ad ſeptimam, vſque ad exitum bilis è capite. oculorum cum rubore dolor, quandoquè dorſi labor & ſæpè cum eis etiam ventris dolores, gulæ inflammatio conſpicua; vel ex decubitu, quod vel ſtatim puſtulis appetentibus, & dimoto humore, præſertim in capite, vel paulò poſt ex torrido æſtu fit: quidam adeo fœdum reſpirant, vt accenſum prohibeant: iactant ſe quidam anxiè, cum

mouentur humores à cerebro, totoq; ad musculos & neruos ipsos: quidam progresso morbo, cum vel pustulæ saniescentes exacerbantur, vel acrimonia extimæ intimæq; putredinis & fœditatis ad sensus instrumenta penetrat. quod si ab internis fiat variolis, tardissime accidit, quod hæ tardius & subcrescant, & suppurentur, quàm exteriores. his addo tremores, rigores, epilepsam, conuulsiones, decretoria non indicantia, vt variolas (relinquitur enim in iecore bilis crassior) vrinam, sudorem, fluxum sanguinis, variolas bis exeuntes, & ter etiam: hæc enim sine signis lætalibus diuturnitatem & difficultatem iudicij, cum signis perniciosis mortem significant, sed quod prauitatem, quod exitium maximè indicat, & præmonstrat, oculorum est turbatio, extinctio luminum: iacent qui irrequieti erant, stertunt, pereunt. Sed à dignosticis iam peruentum est ad prognostica signa pereuntis facultatis iam dicta: quibus veluti colophonem addit liuor & variolarum & vrinarum, & cutis & inflammationum: quo tempore nec cibum capiunt, quod in infantibus, quorum propria videtur voracitas, est grauissimum, sicuti in pueris immobilitas, vigiliæ; non ita conuulsio, cum neruos naturà habeat imbecillos, in his autem, qui ex puerili ætate excesserunt, pessimus est languor arteriarum, quæ si motum intermittunt in pueris, non adeò videtur Galeno graue 2. de præcog. expul. vt in ætatibus magis maturis, similiter autem non continere cibum profluere excrementa, minus malum videtur esse in pueris, quàm in alijs, quia, vt scribebat Galenus. 3. de sympt. caussis cap. 3. pueri alteratricem facultatem valentiorem habent ijs, qui in ætatis vigore sunt; trahendi vim inbecilliorem, non tamen non ad suum vsum sufficientem: reliquas verò duas facultates (retentricem & expultricem) imbecilliores possident, quàm ætate florentes. Hac de caussa sæpius euomunt, ac deijciunt, quàm prædicti, & sæpius etiam ægrotant, sed cum minore periculo, quàm illi, quia, vt ibidem Galenus & 2. aphor. 29. minus periclitantur, qui proni sunt in aliquam ægritudinem, quàm non ita obnoxij: quòd hos nimirum non nisi valida, eos verò lenis quæq; caussa & occasio in morbum trahat. Sed ad alia etiam prognostica descendamus. febris putrida biliosa in pueris mala, quia isthæc ætas, cum sit pituitosa, quotidianis febribus, vt docet Galenus, videtur obnoxia: ex euacuationibus autem sanguis è naribus iuuenũ proprius, viridem ætatem ab acri caussa accensam indicat; si præsertim cruor sit ater, non subalbescens, & rubicundus: vrinæ tenues malæ in pueris, qui solent crassas edere 3.

aphor.

aphor.26. vrinæ aquosæ grauissimæ 2. progn. 33. vti etiam atræ variolæ: quia cum alteratricem habeāt validam. 3. de caus. sym. cap. 4. & humoris plurimum, magnæ noxæ argumentum est. non concoqui excrementa, sed alba esse ob cruditatem eximiā, atrari à flammis, & nil albescere: sed & subalbæ, parum tinctæ at subturbatæ malæ sunt, peiores si aliqua liquatione resperguntur. Quod symptoma Aætius Galenum sequutus ardentium difficilium, hoc est malignarum iniuriam esse, ait. Atræ variolæ pessimæ existunt, præsertim intimæ, iuxta illud Auicennæ. Si bothor, in lingua niger appareat, in secundo mors iuxta illud Hippocraticum. Quibus atra bilis, aut velut sanguis niger subierit, postridie moriuntur, quod potissimùm accidit, si bothor in pulmone sint, de quibus decima quarti tractatu. 4. cap. 14. de petechijs nigris non loquor; ipsissima pestis sunt in omni ætate, quàm vel natura frustrà tentat curare, aliàs mictu ferè sanguineo, aliàs autem sanguineis egestionibus. videntur tamen spemulam quandam relinquere, si non ex bile flaua, fæce ve sanguinis exardescente & concreta fiant, sed ex sanguine ichoroide afflato: is enim, vt tenuior & facilior cœtero sanguine, facilius etiam alterationem subit: nec alia ferè de caussa puerorum affectiones citò immutantur, quàm ob ichoris copiam, quæ in eis non ob ingluuiem duntaxat, sed ob facultatem & substantiam molliorem abundare solet, & per febres confestim vri: vnde videmus non raró quidem sæpè autem in hoc statu peticulas quasdam subatras, sed quæ vix è corio excedunt: hæ itaquè cæteris tantò mitiores sunt, quantò est aqua mitior, quàm sanguis, qui eà alluitur. ast verò, quæ ex atra bile illa exquisita bituminis & picis instar fulgente concrescunt, mero veneno sunt; quæ interiacent, medio se habent modo, eæ scilicet, quas ater & lutulentus sanguis coagmentat, cum vritur. reliquus autem petechiarum modus, & si genere varioloso deterior, concretior, vstiorq; existit, attamen cum variolis veluti parallelus est: nam vt petechiæ, sic variolæ, quò plus & minus ad atrum vergunt, eò etiam mitiores, & acriores existimantur: in hoc diuersæ, quòd variolæ, quantò plus alboris habent, ruboris autem, nedum nigroris minus, tantò faciliores sunt, petechijs autem albor plusculam inesse concretionem indicat, & vim caloris, à quo vri pituita, & coagmentari potuerit: variolarum ergo caracter, qui est pessimus, colore ater occurrit, non cute alba contectus, sed cute in vesicam præ incendio elata tumens, quasi paruus carbunculus. eo scilicet more prædita est substantia melancolica exusta

Aætius lib. 5. cap. 83.

Auic. lib. 3. fen. 6. cap. 22.

terrestris, vt pro Galeni sententia inurat, amburatquè: & vredinis vestigium est pellis in vesiculā assurgens, vt in antrhace sic atris variolis: quarum vesicula disrupta, non sanies proba, sed luteus ichor:& flauus emanat huic generi malitia est affine viridius, viridi autem valdè rubens, mitissimum est album modico rubeo circumfusum. hæc de colore: ex magnitudine etiam numero,& figura præsagire, licet; quia minutissimæ, confertæ, tenuissimo acumine illo albo & pituitoso obductæ, lentè augescentes, citò resilientes, depressæ, duriusculæ, petechiarum substantiam participantes, insigniter verò molestæ sensui, sero maturatæ (quod in vegeta natura, vt puerili, est prauum) hæ dico, peius audiunt apud vulgus. è contra verò bona de illis spes habetur, quæ statim magnæ, rariores, æquabiliter tumidæ, citò maturescentes, & non ita scalpi, & refricari vnguibus, postulantes: intermedium genus ancipiti etiam natura constat: Quæ diuersitas omnis oritur ex varietate humoris, qui efflorescit: nam quò est calidior, & exustior, eo minutiores & acriores pustulas obducit, in quibus ichor & paucus est absumptus nimirum à calore alieno, & ille ipse, quasi prauitatem aufugiens reliqui humoris, in acutissimam & præaltam cimulam ascendit: His autem addatur prædictio ab implicatis & superuenientibus: nam quis dubitet, si in facie ignis sacer exardeat, si in extis vel diaphragmate inflammatio subcrescat, si magna intus, vt in malignioribus, putredo sæuiat, quam magna & caloris acrimonia,& pulsuum inæqualitas, & virtutis imbecillitas detegit, si deniquè totum exumescat, si hæc, inquàm, accesserint, quis dubitet vel funestum omen vel difficultatibus plenum iuditium præmonstrari? Sed artis mage est in ægrotantibus morbi gradum & morem prænosce, vt prouisioni opportunæ incumbamus, non minus, quàm curationi: sed erumpentes stirpes non nisi peritis notæ. 14. methodi cap. 10. huius ego euentus signa obserua magnam statim motus appetentiæq; priuationem vomitus laboriosos, ad tertiam vsque vel quartam diem, & exitum succi venefici: dolorem item duri ventris, capitis verò acerbiorem, caloris cum actimonia, non puerili æstu, siti, pulsibus valdè inæqualibus, & sæpe oppressis: horum plerosquè video, accidentibus præsertim exanthematibus, paulò post iacere, stertere, suffocari, quia pueri fluxiones ad pulmonem non ferunt 3. aphor. co. 26. multò minus, quæ ad exta & cor contendunt. Hæc de prognosticis. Anamgnostica verò seu rememorantia indicia hæc sunto. variolarum vestigia valdè caua in ijs, qui

acrius

acrius laborarunt: color faciei & cutis cerebri crisypelatosus ab hoc fermento acri per multos dies, capillorum tabes, oculi vel e-ruti, vel pupillas laxati extrorsum, vel certè vngulis, scabie lippitudine obtenebrati, quàm labem in conualescentibus facilè refri catam non nisi difficulter licet depellere: humor, vt puto cerebri crudior tardè accensus & extrusus post reliquas molestias lumina obscurat. *problema.*

DE TEMPORE AC tempestate, qua pueri solent perire.

PRO HIS FIRMANDIS, quæ de variolarum caussa dicta sunt.



SED quod summam præsagij continet, obseruatio est tempestatum. 3. prognost. 38. quo autem tempore fætus perire, soleant. 3. aphor. 12. scribitur. " si australis hyems & pluuiosa & tepens " fuerit, ver siccum & aquilonium, mulieres, qui- " bus partus in ver incidit, quauis occasione ab " hortiunt. aut si pariant, tam infirmos & mor- " bidos partus edunt, vt vel statim ipsi intereant, vel tenues, & " valetudinarij viuant. Quibus verbis tacitè docet, si hyems adhuc tepidior, ver autem aliquando boreale sit, aliquando austrinum, non solùm natos, sed qui iam incurabula. reliquerunt, & grandiusculos malè habituros: & si calor protrahatur, augescat, iuuenes vltima veris parte, aut quàm longissimè, prima media ve æstate idem periculi subituros vere enim & prima æstate pueri, & " hir ætate proximi optimè degunt, valentq; maximè. æstate verò & *3.aph.8.*

autumni

„ autumni ad aliquam vſque partem ſenes: reliquo autumno & hye-
„ me, qui mediam ætatem agunt. cum igitur tempora (ſi proprios non excedant curſus) ad ætates hunc in modum ſint comparata, dilucidè conſtat, quæ, quibus ætatibus tempeſtates obſint ſunt autem hæ proculdubio, quæ amicis exiſtunt contrariæ; amicæ autem vel ſunt ſimiles, quia ſimile per ſimilis vim conſeruatur, vel quodam cum modo & iuſtitia contrariæ: temperata quippe corpora, temperata, vt ait Galenus, anni parte, vere ſcilicet, gaudent: extemperata è contrario contrarijs tempeſtatibus reuiuiſcunt, vti medela eius, quod in quolibet ſuperabundat, ſic algidi ſenes æſtate, hyeme feruidi iuuenes benè degunt; ſed modum natura quærit. quærit iuſtitiam: vt ſcilicet ne quid nimij tempora ex temperet, vt ſuauiter non raptim incidant, ne quid putridi contrarijue admittant, quod noceat: ergo ætatibus anni tempeſtates officiunt, quando ſunt nimiæ, intenſiores videlicet, diuturnæ, alterius adeptæ naturam temporis: officiunt, quotieſcunq; veluti improuiſo irruunt: officiunt, cum vitioſi aliquid continent vel frigidi vt per aquilonarem flatum, vel putridi & calidi, ſicut per ſquallores, per auſtros, & reſpirationes fædas terrarum, vel vtroq; modo ſunt noxiæ. Hæ nullam non ætatem lædunt, ſi grandes ſint, ſicuti etiam & frigora & vrentes ſoles, quando autem non ita excedunt, hanc magis illamve ætatem afficiunt: ſicuti etiam anni partes benè aptæ omnibus pro ſunt, nullum in vulgus morbum cœlitùs ingenitum ſæuire patientes, magis tamen huic illiue ætati, vt dictum eſt, conferentes. Iam verò infantulis pueris, & qui eis ætate ſunt proximi, ver & æſtas prima confert: confert verò, ſi hyems pręcedat de more rigens, alioquin nimius humor, & calor eos vti naturà calidos & ſucci plenos lędit, adiutos mirificè à verno ſtatu: vt pote eo, qui optimam (in reſpectu aliarum ætatum) eorum naturam ſeruat: cum igitur hæc cœli forma illis accomodetur, erit illis grauis contraria, nimium ſcilicet vel ſimilis, vel aduerſa, vt hyems nimium frigida: hyems humidior, hyems calida, humida, auſtrina: ver aquiloniũ vel auſtrinum: auſter enim calefacit, humefacit, implet, cõſpurcat, aquilo autẽ refrigerat, crudefacit, partim inſpiratione, partim hauſtu per cibos. 3. de nat. fac. cap. 8. quod prior Hippocrates docuit libro de flatibus. huiuſmodi igitur conſtitutio, ſi leuior exiſtat, nuperrimè natos vti humidiſſimos & tenerrimos, vel necat, vel lædit. ſi grauior, ablactatos puerulos, vt ſecnnda primi epid. ſi adhuc intenſior & fædior, pueros etiam & Iuuenes & alios fędabit, fætus ipſos vel in vtero iugulans

ingignet

ingignet scilicet bilem & pituitam salsam; quæ leuiter exusta pustulas, concretior variolas, exustior in aliquibus petechias generabit, in ijs videlicet, qui sanguine, iecore, temperie sint magis calida: hunc autem esse relati aphorismi sensum, indicat alijs in locis Hippocrates: is enim in humiditatibus putredines ingigni, edocet: & ille idem putredinis nomine & pustulas & humores fædos audiri vult. 3. de morb. vulg. tex. 50. cuius tempestatis vsu aphorismus ille 16. inuentus, & quasi lex constitutus est: ergo & in statu austrino, in pueris præsertim varij generis pustulas oriri, admonet, pro vario adustionis gradu. austrinus autem ille est, in quo vel auster, vel austrino assimilis occurrit spiritus: quod videtur Hippocrates indicasse, dicens. si australis hyems, & pluuiosa, & tepens fuerit, ver siccum, & aquilonium &c. verbum enim εὔδιος aliqui tepidam, alij clementem, nonnulli serenam interpretantur. non potest autem serena esse, & australis, clemens videlicet, ac tepida, nisi auster adspiret siccus, hoc est sine aquis: ergo verbum (australis) duplici illa quasi austri differentia distinctum est, pluuiosa & εὔδιος vt hoc verbo non solùm serenus & siccus auster sed tepens quisq; status proponeretur, qui tempestatum mos incidit, quotiescunq; vel auster flat, tametsi non perpetuo, sæpè tamen, vel orientalis quispiam ventus debili aquilone repressus perseuerat. borealis flatus minutior non modò austrum non reprimit, sed austrinum sanguinem retrudit inflammatq; magis: adeo vt sicuti per hyemem pituitosus, sic per australem salsus, & rursus ex salso biliosior efficiatur. in pueris primùm deinde, procedēte spiritu etiā in iuuenibus, viris, & quod planè pestilens est, etiā in senibus. In huiusmodi ergo, vt vnde sum digressus, reuertar, anni parte ac tēpestate pueri pereunt: id quod accidit etiam, si talis qualitatū facultas alio tēpore in hanc ætatem conspiret: sed ferè id hyeme, ac vere fit: & si quando remissior est status, variolarum grassatio æstatem expectat.

Hipp. 3. aph. 16.

De tuenda salute puerorum variolis sæuientibus.

CVM variolæ, præsertim malignæ, vigent, prouisio magis, (parcant aliqui) quàm curatio est exquirenda: bilis enim multa ne gignatur, satius est prohibere, quàm genitam euacuare 2. de naturalibus facultatibus cap. 8. itaq; halitus fugiendus est recessu puerorum, ne acuta hac lepra contaminentur

minentur: qui verò manent, prudenter tractandi sunt: caueant ab ædibus ad meridiem positis. in meridie ne versentur, præsertim cum ægris. putredo ad meridiem magis ardet, respiratq;: itaque & magis fædat matutina & vespertina consuetudo minore est cum discrimine, extenuante insuper frigida tamen, & quæ pueris conueniat diæta est opus. pueri si quidem nec inediã nec magna ferunt auxilia, vt purgatiores per pharmaca, magnas antidotos, cuiusmodi est theriaces & methridatica confectio: Itaq; vinum interdicatur: vti etiam nutricibus ita enim post Platonem sentire videtur & Galenus & summus philosophus medicusq; Aristoteles. bibant aquam, in qua modicum ordei, lentisve ebullierit sed excorticati, nam cortex adstringit, nos autem volumus etiam meatus expeditos. Quod autem ad cibos pertinet, succurrit illa sententia " Hippocratis, lens, millium, cucurbita frigidissimi cibi: non fri- " gidissima medicamenta, alioquin Galenus à magistro dissentiret, " qui 8. de simpl. med. facult. lentes dicit mediocriter calidas & frigidas esse; cucurbita est frigidior sed humidior. panicum calidius, vti etiam cicer, apti cibi, cum erumpit obscænitas. in lentibus autem obseruandum, assimiles eas videri brassicis nam vt brassicarum vis primùm soluit, secundò cogit. 2. de alim. fac. cap. 42. ita etiam lentium: & vbi magis nutrire, minus siccare studemus, vt inchoante & inclinante malo, tunc pro vsu sint lentes decorticatæ, lib. de alimentorum facult. cap. 18. his ordei vsum addo, acetosæ, cicorij, nucum iuglandium, limonum, aranciorum, granatorum aceti, & si quis respueret, saccaro temperati. in meridie modico cibo recreentur, ne austri vim admittant. cœnent parcè: vt mane surgant expeditiores, & matutini antelucaniq; aeris haustu ac refrigerio recreentur. neq; tamen vel nimium, vel tenuuius existat prandium: cibi quantitas, quæ moderata sit, præscribatur, talem enim ex vsu esse, cùm auster spirat, visum antiquis est. aluus quotidie egerat, & copiosa: hoc enim est inprimis auitum puerili ætati: deinde viam eam, quæ à iecore ad intestina tendit, apertam seruat. sin venter sit durior, blandis emolliatur; vt prunis, tamarindis, dulci oleo, minimè acerbo, & omphacino: item cremore ordei, oxalydis ac betarum decoctione, addito oleo; & si quando, ad hunc vsum probari debet panis furfuraceus, hoc tempore approbandum esse, existimo, cum mirificè detergat crassam bilem & pituitam, si qui autem adhuc sunt duriusculi, id quod potissimùm fit spirante borea, cassiæ modicum concedatur, vel cum saccaro asserua-

Gal. 2. de san. tuen. cap. 5. Arist. lib. de som. & vigilia.

De hac cõdectione vide in capit. de victu inflatorum.

asseruatæ, vel simplicis. eiusdem facultatis erit manna recens vetustum ve, sed quod aqua oxalydis vel dissolutum, vel ablutum sit, vt refrigescat. Et si biliosam putridamquè, vt dici solet, dispositionem iam contractam esse, constet, præparetur bilis & salsus humor syrupis acetoso, ex cicoria, & ex lupulis, vel fulmaria cum decocto acetosæ, endiuiæ, ordei, & limonum, citriue cortice, præparatus verò humor ducatur cassia, vt laxet, diacatholico, vt aperiat, rosato solutiuo, vt refrigeret, & corroboret. diluens humor ad eandem regulam sit decoctum ex prunis, tumarindis ordeo, acetosa, cicorio, & id genus, quæ meatum ab intestinis ad iecur protractum reserent: est enim maxima tandem ad præcauendas pustul as via, si viæ reerentur, si humor extenuetur, vt per intestina vrinas, sudoremquè excerni queat: quod vbi non accidit, pustulas, vt authore Galeno dixi, natura fundit, hanc vnam esse prouisionis rationem docens, si extenuati humores per aluum deijciantur. & natura hoc seipsam præsidio munit in pueris, hoc subsidio iam laborantes pueros liberat, si non à pustulis concretis, saltem à febribus: Sed hæ vti etiam pustulæ, à sanguine ortum habent, ideo magna tandem est ars præcauendæ fœditatis huius, si effluat sanguis è naribus: hic enim fluor innatus primùm videtur iuuenibus, pueris calidiusculis, deinde bilem naturà surgentem ducit: & hoc præcipuè anno, quo est hic morbus præter morem malignus, & inflammatus, quibus præeruperit sanguis per nares, plenosque ab hac turpitudine præseruatos fuisse, obseruo. & quibus non leui correptis febre nil effatu dignum natura excreuit, vel per cutem vel per meatus, ij aut morte, aut ventris tumore, vel abscessu aliquo finierunt morbum: tametsi tanta fuit, estquè hoc anno in pueris & copia & prauitas, vt post cutis ingententem deturpationem etiam abscessus quibusdam in brachia quibusdam etiam in scrotum, pudenda, per cutem fiant. vnde aliqui tandem etiam in furunculos à variolis liberati inciderunt.

CVRA-

CVRATIONIS VARIOLARVM

Methodus generatim traditur.

VBI NON PAVCA VTILIA Et pulchra simul habentur.



RO mali huius curatione statim accersiti medici quamprimùm etiam artem & medelas depromant, hoc imprimis noscentes, quòd pustulosum genus, quatenus inter morbos est, reprimi, repelli debet, sed vt symptoma, vel sinendum, vel etiam adiuuandum, rarissimè impediundum, vt enim intimum repurgat corpus, permitti debet: ita Galenus 2. in 6. de morb. vulg. co. 30. humores ad cutem vergentes non impedit, sed magis prolicit, vt extimi corporis fœdatione intimo consulat: cum præsertim efflorescens fœditas grauior, & maligna est: quod intelligens natura à venenatis morsibus frequenter emandat pustulas. Quomodo autem impediri debeant, res est dilucida: possunt enim vel prouisionis, vel curationis caussa impediri, idq; vel vt pustulæ, sunt, vel quoad caussam, cacochymiam scilicet, & multitudinem, quæ extuberat: huic enim secta vena, laxatis ventribus, repressa intemperie, potissimùm iecoris, est prospicere, illis autem per frigida, vt rosata, ferreas aquas, occurrimus, vel repellendo, ne prodeant, vel refrigerando expiandoquè sanguinem, ne efflorescat, ne ve ex vno genere pustularum in aliud, quod sit fœdius, transeat, vt sæpè à variola in petechias, pustularũ genus acerrimum: similiter etiam prohibentur curando, quando non solùm ipsarum caussa remouetur, sed ipsemet, vt molestæ sensui, temperantur, ne dolor eas proliciat. hunc autem esse modum vnicum pustularum reprimendarum, ratio dictat, quia cum duplici de caussa deturbari possint, vel quia nimiæ, vel quia molestiores & acres sensui, prior ratio, quæ videlicet nimias pustulas repellit, ferè excluditur, quia si decretoriè, hoc est mero & integro naturæ consilio apparent, religioni habendæ sunt, non reijciendæ: si ob vim morbi & febris, ne sicquidem illis non debet patere exitus, cũ

intestinam

intestinam turpitatem imminuant tenues tenuem, multæ multam: Hippocrati autem hoc ipsum probatum esse constat, si quis illum audiat scribentem. Hæc autem spectanda sunt, quæ sponte sua desinunt. an velut pustulæ ab exustione excitatæ. in quibus qualia lædant, aut prosint vbi Galenus hæc adnotat. cum aliquid sua sponte fit, id quomodo desinat, spectandum est; vtrum, inquam, morbum soluat, an verò alium affectum quendam pariat. an pustulas quasdam excitet, vt in æstu atq; ambustis fieri consueuit. Quo sane casu est præterea videndum, illa ne prosint, aut noceant. si enim vtilitatem afferant, ea sic erunt sinenda, nec vlla eis adhibenda curatio. si verò noceant, tunc & prohibenda, & curanda esse cito. iam verò malignæ variolæ ad febrem, vt accident ad morbum relatæ, partim prosunt, & partim nocent. prosunt, quia quibus non erumpunt, ij grauius adflictantur, vel acriorem febrem, vel intestina tubera, nisi alui deiectio suppleat, contrahentes, nocent autem aliquando quidem, vt mordaces, sæpè autem, vt omnem quantitatis cumulum supergressæ, & quantitati comes existit spurcitas, quæ non modò cutem tumefacit, fermentat, sed ad centrum halitu saltem ipso regrediens auget febrem, adeò vt sibi inuicem caussa sint febris & papulæ, quas nullo alio repellas præsidio, quàm si euacues, atquè alteres, sed alteratio videtur potior, quando variolæ admodum vel benigna, vel maligna bilis sobole procreantur: euacuationis autem consilium generatim in variolis est necessarium, quia rectè Razes: Dico quæsiui & inueni, quòd malitia variolarum est secundum quantitatem malitiæ anhelitus, & raucedinis vocis. at raucedo à copia humoris magna, difficultas spirandi in variolis non à virtutis languore, non à grandi necessitate ducendi spiritus, cum febris non propriè existat ardens, sed à copia materiæ, quæ non modò membra spiritus irretit, sed ambitum & intima, vt dixi, premit. vnde necessaria hic est duplex euacuatio, vna insensilis, altera manifestior: prima est, quæ materiam non modò ciet, sed etiam sensim, vt licet, excutit, ne concrescens tam graui sarcina cutem fatiget: & hoc præstatur victu & medelis: victus sit tenuis, non tamen valdè, nam ieiunium, vt scribebat philosophus, bile facit, quod sæpè à Galeno repetitum est, idque est Hippocraticum 1. aph. 5. & dilucidius 5. epid. in Vxore Antimachi id verò eò magis accidit, cum austri perflant: bothor etiam hoc est pustulas cutis decocto Auicen. ellebori dissipabat, ad quem vsum

Hipp. 1. de humor tex. 6.

Arist. lib. de sen. & iuuent. c. finem.

Auic. lib.

4. fen. 7. tr. 3. ca. 5. facit omnis euacuatio per extenuationem comparata: sed mitissimum est remedium Hippocraticum, aqua ipsa, quam ipsemet in libro de humiduum vsu ad rubeas pustulas commendat, quorum nomine etiam variolas contineri patet, & magnam habet artem isthæc curatio: cum enim euacuatio sensui patens vel prohibeatur, vt in atra bile purgatio, vel ab ipsamet expultrice natura fiat, vt in rubeis & benignis pustulis iure optimo Diuinus Hippo. curandum pustularum rationem in alteratione ponit, ea scilicet quæ refrigerat, idq; per aquam, quæ vt aqua, febrem & calorem nimium. acrimoniamquè pustularum compescit; vt calida, easdem dissipat. primum scopum senex respicit in libro de humidorum vsu: secundùm verò. 6. epid. sect. 2. tex. 30. vt discutiat, quod ab ea præstari illud monstrat, quòd eodem teste, per fusus tepida venter supprimi solet. hæc eadem etiam cum acrimoniam pruritum mitigat: sensilis autem euacuatio est magnum illud duplex auxilium, purgatio, & sanguinis emissio: sed purgationes propriè dictas nimias esse in pueris, & veteres medici docuerunt, & ratio edocet, cum enim isthæc ætas tenella sit, purgantem & pharmacosam facultatem non sustinet, nisi quam mitissimam, & satis naturæ amicam, vt in rhabarbaro; alioquin duplici de caussa, ob corporis videlicet rationem, & sanguinis tenuitatem superpurgantur, vel certè, vt Galenus scribit, exoluuntur: euacuantia verò sint, quæ bilem, quæ ichorem & pituitam salsam educant, nam ichor biliosus, vel bilis ichorosior & saniosa iam est constituta materies variolarum: salsam verò pituitam & ipsam educendam esse euacuationibus, docet Galenus, huiusmodi succum dicens, abundare solitum, vbi australem hyemem ver excipit aquilonium. quæ tempestas variolarum etiam est procreatrix: & quia non perpetuo id mali fert, sed tantummodò, vbi vel auster quidam flat crassior, vel conspiratio temporum crassum ichorem gignit, idcirco medicamenta oportet, etiam incidant: & vbi aquilo spiret, magis aluum emolliant, dilatent vias, in austro autem præsertim humido minus laxent, nam hic aluum, quem cogit aquilo, relaxat. omnino tamen in grauioribus variolis lenitio vehemens ex vsu est: vt sicuti sectionem venæ purgatio compensat. 4. de tuen. valet. cap. quarto sic purgatio vehemens negata pueris statim lenitionis vehementia compensetur. nec putredinis & vermium non est habenda ratio, qui plerumquè pueros torquent, potissimùm in morbo putri: Deniquè & symptomatum, præsertim ventriculi

Hipp. in vxore Antimachi & lib. de humid. vsu.

Simile Aætius lib. 3. cap. 138.

Gal. 2. aph. 28. 9. meth. 17.

Gal. 3. aph. 12.

triculi capitisquè cura sit, dum venter medicamento petitur, tale nimirum sit, vt compescat vrgentem bilem: venæ etiam sectio in pueris in vsu non est, priusquam annum agant quartumdecimum. 11. methodi cap. 14. & in libro de rat. curandi per sanguinis missionem cap. 13. & omnino mitti sanguinem in valdè paruis pueris prohibitum à priscis est; sunt autem valdè parui, qui grandiusculis minores sunt, de quibus Hippocrates 3. apho. 24. in paruis & nuper natis puerulis oris vlcera (quæ aphtæ vocantur) vomitus, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates. his nullo modo sanguinem licet detrahere. at pueris vltra progressis, de quibus apho. 25. & 26. sanguinis detractiones natura suadet, quæ in pueris biliosioribus sanguinem per nares emandare incipit, vberius emissum in ipsis iuuenibus: & si Galenus in filio, qui nundum attigerat duodecimum, venam secuit, licebit in natu minoribus sanguinem saltem imminuere cucurbitulis & hirudinibus: quando non sunt habitus albi & valdè mollis, sed duriusculi, & satis validi: nam, vt dicebat Galenus, de senibus, qui sunt bis pueri, non ætas duntaxat, sed multò prius virtutis robur perpendi debet post morbi magnitudinem, quæ vel adsit, vel vt idem est author, immineat, cuiusmodi febris est cum variolis & ex anthematis: Quòd enim hic morbus magnus sit, constat: acutus nempe est, & idcirco magnus, si præsertim in sanguine, & calida sanguineaquè natura exardescat. Quod iampridem Galeno receptum est scribenti. Synochos benè habiti corporis & calentis ætatis propria est. Sed & quilibet sit typus febris, calere in variolis sanguinem, dictum est, vt non modò euacuationis, sed etiam alterationis caussa sanguis imminuendus sit, ne scilicet de baccans igneus & alienus calor ex variolis petechias gignat magis exusto sanguine, vt enim præseruatio quandam curationem ita hæc aliquam prouisionem prætendit. & si sanguinem natura emittit caussa prouisionis: ergo eundem retineri nephas est, cum incumbit curatio. Quin & eadem ipsa morborum sanatrix natura id mali curat, effuso & per nares & per cutem sanguine, & id rectè, cum pustularum species nihil sit aliud, quam concretior præ vstione sanguis, qui medicos veteres iampridem docuit, vt in scabie lebra, & exanthematis sanguinem mitterent, & obseruaui ex duobus pueris fratribus, ijsquè etiam claris, eum

Gal. de rat. cur. per sang. miss. cap. 13.

Gal. 11. meth. 4.

cui ſanguis fuerat imminutus, & celerius, & maiorem effugiſſe labem; cui non fuit miſſus, diutius minore laborauiſſe, tandemquè in abſceſſum ſcroti & crurum eryſipelatoſum cum aliqua plegmonis & œdematis permiſtione incidiſſe ergo euacuandi cauſſa iuuat ſanguinem in variolis mittere. Quòd enim reuulſionis conſilium hoc eodem auxilio præſtari debeat, vſquè adeo notum eſt, vt probare inartificioſum eſſe, videri, queat: intus enim non raró ſuccreſcunt variolæ, nonnunquàm ignes ſacri accenduntur, interdum pleuritides expungunt, anginæ ſuffocant, tumores & humores necant: quæ pernicies non euitari tutius valet, quàm retracto ad ſuperficiem ſanguine: Hoc præſidio Romanos medicos aliquando in huiuſmodi puerorum calamitate vſos fuiſſe intelligo à viris grauibus: non omnes ſanat. fateor. non omnes à petechijs præſeruat: præſeruat tamen, curatquè haud paucos, & multò plures intereunt, vbi iſthæc medela reijcitur. Quantitas autem euacuationis ex naturæ firmitate, copiæ menſura, febris ſpecie, temporis conditione petenda eſt; in ſynochis enim vberior ſanguis, in bilioſis bilis multum educi oportet: pariter etiam aeris conditio non ſolùm remedia vel admittit, vel prohibet, nam hyemis rigor ſummus purgationes, & præter has ſectionem venæ dehortatur canis: ſed etiam eorum gradum deſignat, cum in ſummo æſtu leuiora, in minore maiora adhibenda ſint, & in boreali ſtatu ac hora magis, in auſtrali pluuia minus laxandum ſit. In vario deniquè cœli ſtatu variæ cum variolis ægritudines implicantur, hyeme pleuritides, veræ anginæ, æſtate alui profluuia, & lippitudines; tametſi nonnunquàm per alia etiam tempora obturbant, vbi tempeſtas fauet; ab aeris igitur more curandarum variolarum indicatio ſumenda eſt: & ſi cauſſam adhuc magis eſſentialem quærimus huius complicationis, non modò anni temporum, ſed tempeſtatis, quam variolas vulgare dixi, hic genius, hoc ingenium eſt, vt aphtalmias, vt anginas, vt acres diarrheas ferat: has febris quidem infert, accenſo tandem ſanguine cerebri, vnde poſt variolas in ſanatis pueris oculi non paucis inflammantur, ſed multò prius excitant ſtimuli tempeſtatis, quæ pluuia primùm, vt dixi auſtrina & tepens, deinde aquilonia exiſtens non variolas duntaxat, ſed etiam, vt Hippocrates docet, ophtalmias & inteſtinorum difficultates parit. ſed quas ipſe ſcribit, poſtera fieri æſtate, has vel incipiente, vel paulò vlterius progreſſa tempeſtate, ſæuire, neceſſe eſt, cũ non

modò

modò pluuia & aquilonaris, sed verè austrina sit: est enim bipartitò, vt dixi, austrinum tempus, vel quia austro per simile, vel quia ab austri flatum fit tale: at variolosa, vt iam dictum est, tempestas, verum quendam austrum requirit, vel pluuium, vel pluuijs temporibus licciorem, & mixtum cum aquilone, quæ conspiratio & adspiratio caput replens, iecur inflammans, oculos expungens ac turbans præter variolas ex australis humoris acris illius copia genitas laxatis infractis de austri more meatibus & locis ophtalmias, anginas difficiles alui turbationes, non exportata æstate, concitat, præsertim in pueris & valdè calidis humidisq; temperationibus: his autem & illud addendum est, pro exacta curationis ratione à temporibus accipienda, quòd status humidi manantes pariter lippitudines generant de quibus 2. in 1. 6. sicci verò siccas, de quibus 6. de morbis vulgaribus sect.7. & 3.aph. com.12. & hæ magis molestæ sunt. Deniq; cum vbiq; arte vna simul variaq; opus sit, in austro pluuio, maior auxiliorum varietas quæritur, quia pluuia ex varijs terræ & aquæ respirarionibus concrescit, vt de ea scriptum
„ sit ab Hippocrate. aqua pluuialis cito putrescit, & odorem malum *Hip.li.de*
„ habet, quod ex pluribus est congregata, & permixta: tametsi. 4. *aere lo.*
„ de morbis cœlestis aqua febre laborantibus concedatur. Ergo per *& aquis.*
ea tempora, siquando, policristis, hoc est multi vsus, medicamentis ars indiget. Modus auxiliorum patebit vsu: nunc de tempore euacuationum dicamus aliqua, quod rectè institutæ curationis videtur & forma & laus, cum agēdi opportunitas medicos ab empiricis distinguat. opportunitas autem est apta celeritas: est quamprimùm licet, hanc copiam & corruptelam (de malignis enim variolis semper loquor) euacuando, (sic in Timeo à Platone præceptum est) & alterando compescere, priusquàm hæc planè contaminet, illa obruat. Est materia isthæc, vt inflammatior & vix represlibilis post sectiones, hirudinesq; sanguis monstrat; est, dico, turgens, non propriè & absolutè, sed, vt aiunt, secundum quid, cum & pruritum in cute, & intus dolorem excitet, dorsi, ventris, quodam cum errore; quo tugrere non nihil sanguinem indicatur, saltem in visceribus principalibus, de quo turgentiæ modò Galenus 4. aphor. 10. sicuti de priore hoc est pruritu, agit 2. in 6. 30. quod priori Hippocrati probatum fuisse, constat, si quis eum audiat. 1. aph. 22. de vera & exquisita turgentia loquentem in 2.aph. 29. de purgatione aliquando generatim quærenda morbis incipientibus in 4. autem, apho. 10. de purgatione statim celebranda, cum inuitat materia,

Variolarum malignarūmateria turget quodammodo.

inuitat autem, vt ibi Galenus adnotat, multis modis, inuitat ipſo motu, vel adde tu per totum corpus, vt 3.3.25. qui turgendi mos eſt ſummus, vel per membra potiora; inuitat, antequam febris augeatur. inuitat priusquàm in partem aliquam principẽ vel irruat, vel quod penè idem eſt, remeet, inuitat deniq;, antequàm virtus eiuſdem iniuria collabatur. ſimiliter autem & ſtatim mittendus ſanguis, vbi ex vſu ſit, nam paulò poſt puſtulæ erumpunt, quo tempore non ſatis conſtat, ſalutare ne, an perniciosum ſit, venam tundere, tametſi de hac dubitatione hæc tutò dici poſſe videantur. ſi erumpunt ob laxatas naturæ vires, mors preſtò adeſt. nihil tentandum. ſi, natura adhuc valente, meramq; ob ebullitionem ſanguinis funduntur, quod in petechijs pulſuum & elatio & quædam monſtrat integritas, ſecare venam licet, cæteris aſſentientibus: ita enim feruor reprimitur, nec praui aliquid reuocatur. Quoniã autẽ ebullitio, niſi copia quædã effatu digna, vel ſanguinis vel bilis ſuppeditetur, deferuet, hæcq; ipſa emandat puſtulas, quas vt dixi, repellere, & cohibere eſt nephas, ideo iſthæc inprimis ad aperiendã apparentibus variolis & petechijs venam cõditio adſit, vt aliqua plenitudo ſubſit, alioquin in tertianis quàm ſimplicisſimis & tutisſimis, quæ minimè magni ſunt morbi, ſeccanda eſſet vena, cum per eas aliquando aliqua exanthemata effloreſcant, culicum ſaltem morſibus vel punctis ſimillima. Nec minus in vtraq; plenitudine & ſanguinis & bilis diſtinguere, oportet, criticè ne, an ſymptomaticè erumpat, & ſi decretoriè, an quod ſatis eſt, per variolas & petechias profluat, an parcius, quàm par ſit: iudicatoria ſcilicet & ſufficiens excretio ſinenda eſt: adiuuanda, vbi ſit imperfectior. quod non tuſa vena, ſed per tuſa cute medici aſſequuntur. ſi quidem, quò natura vergit, eò ducere oportet pro lege Hippocratis cum locus fert, & Galenus hoc ipſum probat. 2. in 6. co. 30. Quando autem vi febris protuberant, quod agnoſcitur non ex laborioſis duntaxat ſymptomatibus, nam hæc obturbant etiam, vbi aduentat criſis & naturæ victoria, Sed ex decretorijs notis intempeſtiuè viſis, ex cruditate, abſentiaquè tolerantiæ, tunc ad ſecandam venam iſthæc optanda ſunt. primùm, vt ne cum ſanguine crudi humores adſint, tunc enim vel non eſt ſecanda vena, cum ſcilicet cruditas ſanguinem ſuperat, vel ſecari per vices debet, libro de cur. rat. per ſanguinis misſionem cap. 12. Secundò cum bile tanta eſſe debet quantitas ſanguinis, quanta poſt venam ſectam frenare adhuc bilem, naturam alere, ac tutari queat: poſtremò bilis prauitas non debet eſſe tam grandis, vt non modò

An petechijs prodeuntib⁹. venæ ſectio ex vſu ſit.

non in-

non intereat, ducto sanguine, sed hoc ipso potius efferata lenimento hominem interficiat: bilis equidem quatenus obstruit, eductione sanguinis, apud Galenum non curatur, sed quatenus temperiẽ corrumpit, hoc remedio restituitur, primùm refrigerata, dein concocta: leuata namq;, quæ corpus nostrum regit, natura, exonerataq; eo, quo veluti sarcina præmitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincit. attamen tanta quandoq; est illius peruersitas, vt detractione sanguinis inualescat: id verò fit, quoties illa valde ardens & exusta est, adeo vt naturam sapiat atræ bilis. hac concreta purgatio à veteribus interdicitur, ne indilutior acriorq; fiat: igitur & sanguinem mittere, mitissimum succum, cuius tactu mitescunt biles, reprehendẽdum est in valde malignabile, ne syncerior molestiorq; euadat, ne magis natura langueat, languore solita, vbi ingens humorum prauitas corpora tenet: & hæ vulgi quærelæ sunt, à vene sectione statim ægrotos deterius habere; nisi, vt multoties obseruo, contingat papulas omnino benignas prodere: ita enim fit, vt secta vena & cessante ebullitione releuetur æger: aliquando autem pro tuberant bis & ter, principiò faciles, dein malignæ, vnde paulo post calore & putredine per sectionem exacerbata, de integro, & grauius etiam adflictatur huomo, & hæc ipsa ratio, & caussa est, cur venæ sectio aliàs in huiusmodi tempestate conferat febribus periculosis, quando scilicet mitiores sunt, aliàs exitio sit, nempè cum earum caussa biliosior & maligna est, non scilicet pallida (hæc enim bilis species Galeno benigna est) sed magis vsta quã inhibere missione sanguinis graue est: inhibet autẽ ebullione, vt dixi, expultriceq; repressa, & sic materia introrsum ad confluentẽ sanguinis reuocata: quod nõ ita fit per benignã: partim enim ea est tenuior, & magis fusilis, in penetralibus hærescens minus, partim verò non adeo naturã debilitat, vt missio sanguinis languori sit. Hæc generatim de euacuatione sunt dicta. Alteratio autẽ in variolosis febribus est, refrigerare, exsiccare, extenuare, detergere, aperire, expulsionem, coctionẽ iuuare. Hæc autẽ ita præstanda sunt, vt humor calorq; innatus puerorũ seruetur, & morbus non redeat: nã relabi deterius est, dicebat Auice. quàm labi. morbus reuertens magis premit libro de internis affectionibus. Non redibit, si validè hæc conquirantur. nec alia de caussa existimo, pauperibus minus molestas huius anni variolas, quã diuitibus extitisse; nisi quia isti calidis, illi valdè frigidis & domicilijs & diætis vtuntur. Secũdò materia auxiliorũ debet esse & multiplex & bona, & probè parata. Tertiò validè infrigidãtia pueris ne

Gal. 3. in 3.9.

 ris ne

ris ne exhibeatur. 2. catatopus. cap. 1. sat valida nihilominus vel statim in frigidario quærenda est, non ratione variolarum, sed ad præcauendas petechias, & exustionem: & si enim quæ concoquunt, in pueris, vt pote qui valido calore vigent, non vsq; adeo vehementia quæri debent, ob eandem tamen causam optari debent fortia medicamenta ad reprimendum calorem putrem. Et quod pertinet ad localia, non expedit pueros esse vinctos & delibutos fascijs, ne eximiæ illius, qua frui solent, difflationis beneficio destituantur: sed tamen, quia magnum est & copiæ & prauitatis signum, deturpari hominem intus & foris, non reor imprudenter factum, si pueris aliqua lenimenta admoueantur, quinimo, quod Galenus, vt malum, vitat in febribus, quà febres sunt, excalfacere videlicet præcordia cataplasmatis, quia excrementa ad partem excalfactam trahuntur. idipsum in febribus putridis, quatenus per pustulas iudicantur, pro omnium medicorum sententia saluti est; & ne variolas prolicere vsu localium, Galeni sententiæ refragetur; præcordia & ipse excipiam & cataplasmata, sed reliquo corpori post aliquam purgationem, quæ mox dicentur, ad mouebo. quæ Hippocrates his ferè capitibus perstrinxit atq; hoc modo vtendum est liquidorum perfusionibus, inunctilium illitionibus, foliorum impositionibus, aut linteorum, cataplasmatis, quæcunq; aut caliditate aut frigiditate prosunt, & nocent. in chirurgica demum opera dexteritate opus est grandi, ne timore conuellantur.

Gal. 11. meth. 15.

Lib. de hum. vsu in fine.

De ratione victus in vniuersum.



VIVENDI ratio iam generatim constituta est, infrigidans nimirum, extenuans, & tenuis, quantum ferre inexhausta puerorum ingluuies potest: omnino tamen prohibenda illis & veluti amputanda sunt multa, ne vt dicit Paulus lib. 1. cap. 6. vel nimium eorum genio indulgeamus, vel acerbissimus. Hæc autem pro morbi tempore mutare oportet. soluto morbo, reliquijs tollendis inuigilandum est: sunt autem eæ, intus bilis & pituita crassa. relinqui humorem atrum constat, vnde & famescunt, quemadmodum & quartanarij, & lienosi, & hyppocondriacorum nonnulli solent, cum non deijciunt. foris præter cætera color erysipelatosus relinquitur in facie, & toto cerebro, intus & foris calida intemperies, quæ non frigidæ, sed maiusculæ infrigidationis iam propositæ cōsilium cōfirmat.

Quid

Quid agendum priusquàm variolæ prodeant.



RGO, priusquàm exeant, detractioni studendum est, euacuandó, & statim: nam turgere humorem in malignis variolis, argumento est, dolor ventris & dorsi præsertim errans. libro de affectionibus vt autem in bilioso succo ventrē mordente purgatio magis, quàm cibus desideratur, lib. de sympt. causis cap. 7. Sic pro vario motu bilis, varia conuenit purgatio: bile enim ad superiora surgente, vomitus, ad inferiora, purgatio ex vsu est 1. ad Glauconem cap. 9. sed quouis tendat, eius acutiem oportet retundere: quia bilis vbi est concitat calorem, pruritum, dolorem intestinorum, inflammationem: inprimis igitur eligenda, expurganda, & curanda nutrix infantium: nutrices elegantes sint, & bonæ; si non specie, & flos ipse, attamen solidæ, succi plenæ: quæ tetro & infami colore sunt, proscribantur: inde ita eas tractare oportet, vt lac pueris medela sit. Hoc est à priore Hippocrate traditum. Hoc à philosopho receptū, qui quæ pueris conueniunt, ea nutricibus adhibenda docet. in primis autem arceantur ab austrino flatu, hic enim est ventus, qui vexat pueros: bibant aquam ordei. optimis vtantur cibis, qui refrigerent, exsiccent, extenuent, vt ptisana milio, lentibus, acetosa, endiuia, cicorio, limonibus, citris, arancijs, aluo purgentur: vt enim inter auxilia euacuatio, sic inter purgationes alui deiectio quæsita primas in hac cura tenet: quam Aesculapius prior inuenisse, perhibetur: ita verò id fiat, vt quà pueri, qualisq; in eis humor ducendus est, eà etiam & tali purgatione nutrices curentur. Sed vehementiore, quàm si cum nutrice tantùm res esset nam si medicina, vt vnum, nutrici sufficit, semigradus saltem vel qualitatis vel quantitatis addendus est, vt in puerum no idè virtus per transeat: & quod de altrice dico de capra & asina in tabidis, in pueris, debet intelligi: vt scilicet iumento non solùm malua, consolida, althea, ordeum, brassica, viola, papauer, nenufar botrys, papauer refrigerantia extenuantia alimento sint, sed auctiora, quàm si pro animalis medela propinarentur. insuper quia materia, vt dixi, turget quadantenus in hac formula pustularum, opus est etiam exhibere medicamenta non planè soluentia & valida, quæ à Græcis pharmaca nuncupantur, vt in exquisita turgendi modo, non mitissima, vt in miti humore,

humore, sed intermedia γπάλατα ab eisdem vocata, vt scribit Stephanus Atheniensis sup. 1. ad Glauconem in cap. 1. de tertiana notha. ergo nutrici si cœlum friget, exhibendus est flos cassiæ cum modico polipodio & aloe, vel hiera simplici.

℞. Floris cassiæ ex: recens à sedacino. ℥. x.
Polipodij.
Aloes. } an. ℈ ij ſ.
vel polipodij. ℥ ij.
Sp. hieræ. ℥ j. F. Boli.

Potest etiam, si benè robusta sit nutrix, & natura pueri, potest inquam, addi tantulum diaphinici: calido autem tempore cassia dun taxat, vel diaprunis detur, aut diasebesten roboratum pariter polipodio, & ad boli formam redactum saccaro. quod infus. ros. solutiua pluries respersum, mox resiccatum sit. sed potionis forma plerisq; placet. huius formulæ erit, si mulieri mediocriter robustæ & facili exhibeas lentiui vnciam cum vnc. iij. mellis rosati solutiui hyberno tempore, æstiuo autem solutiui ex rosis syrupi cum aqua oxalydis. sunt etiam ex nutricibus aliquæ delicatulæ. his manna exhiberi potest cum aqua aliqua, vel cicorij, vel endiuiæ, vel acetosæ, vel ordei, vel quod satius est, decocto tamarindorum, prunorum. pruna enim leniunt, & laxant. tamarindi roborant. limones detergunt, sicq; aluũ etiam mouent. omnia verò simul sanguinem & lac expiant; putredini aduersantur: à quibus si nutrix abhoreat, decoctum, quod & parabilius est, exprunis mercuriali, acetosa paro, addita, vbi salsedo acrimoniaue quædam pectus obturbet, violaria, quibus & capillum veneris addo æstate, cum iam pustulæ pueros suffundere incipiunt: hyeme verò feniculum: quod & lacti prospicit: quo nisi abundet, & alterantibus & cibis aliqua semper addenda sunt, quæ lactescant, vt crocus, amigdalæ, pini fructus, feniculum, cũ enim lac in mamillis pectoreq; concreetur ex ea parte humoris, qui in sanguine abũdat, & ille vtilis, redundabit proculdubio vsu eorũ, quæ in primis sanguinẽ augent, deinde penetrant, & pectus mãmillasq; lasciuire faciunt, quo in genere est etiam mamillarum fricatio, non à puerili manu, præsertim fœda variolis, sed ab vxoria, vel propria: medicamẽtis ergo nutricum imponẽda semper, quæ simul & detergant, & aluũ cieant, & lac nõ reprimant: cuiusmodi est, quod libro de remedijs facilè parabilibus ex furfuribus & raphani radicibus conficitur. calidiora vitari debẽt, vt nigella. raphanũ, cũ tritico cũ ordeo cũ vino albo pro vso est, cũ iam pellis extubera, omnino enim pro pustularum tempore ea diligenter nutrici

instituo, quæ infanti conferre, queant, Hunc autem, antequam pustulæ exeant, expurgo pariter his, quæ ichorosam bilē educere extenuare, & detergere valēt, vt manna: quod si per calidū cœli statum vel exponatur rori, vel abluatur rore, & propriā erit qualitatē perbellè adeptū, & bilis vim acriter expugnauerit, nā quod in adulto est in mite, in puero acrius medicamentū est, si præsertim calcar addatur acetosi cuiuspiā: vnde ego in puerulis à bimatu soleo, vt in trienibus, & quadriennibus, exhibere ℥. vj. vel vnc. j. mannæ cum ℥. ij. aut semiuncia vel syrupi acetosi. simpl. vel oximellis pro anni tēpore: hoc fortiora sunt rosata; vtor libenter polipodij decoctione in cicorij aqua: fortiora nō exhibeo: sed leuiora augeo. tartarū albū, quādo præsertim perturbant vomitus, saccaro exceptū & aqua oxalidis limonūq; succo hoc etiā est peroptimū: si vomitio nō infestet, oleū cum prædictis misceatur, vt laxet. inficcitate, à pharmacis abstinendum, nisi ea nutrici exhibeamus, id quod Hippocrates decreuit scribens. mulier capra elateriū pueris purgatio. elateriū enim & si ichorē purgat, sicuti fidem faciunt pillulæ ex elaterio, quibus nihil est efficatius ad ducendas è ventre ac venis thermas, id tamē sic præstat, vt vnà etiā bilem ducat, talis itaq; fit expurgatio, acrior, mitior pro ætate natura pueri, & peccātis sanguinis ac cœli statu: in humido enim facilior. in sicco & aquilonio vehemētior, vt iā dixi, qrit, sicuti etiā fidē facit thermarū potus, qui aliquādo, vt hac tēpestate, ægrius pentrat, aliquādo autē facilius, vt in austrina: Quoniā aūt ex pueris nō pauci purgationibus abnuunt. idcirco horū purgandorū ratio sit per œnemata, hæc pituitā & humorē dulcē, quo plurimo intestina puerorū obducta sunt, ducūt: hęc bilē ipsam etiā ex iecore trahunt, si vim habeāt pharmacosam: hæc si dulcia sint, lūbricos alliciūt, & proliciūt, ex dulci eo humore in pueris à valido ecrū calore genitos. hæc restrictā aquilonari spiritu aluū laxare, corroborare per au strinū possunt. hæc deniq; non modò dolores dorsi ac ventris in malignis variolis leniūt, sed qui humor ob crassitudinē inhærescēs iecori in papulis, vt dixi, per cutē funditur, hūc per laxatos meatus aliquando extraxere. & hæ sint instituendorū eorū, quæ subdūtur, indicationes, detergere, extenuare, refrigerare, dilatare meatū eum, qui à iecore ad intestina pertinet, bilē pituitam vermes educere, addo à corde, capite, cētro reuellere mitissimū est ex maluā decocto & optimo saccaro: non ita mite ex rubeo & aqua ordei. lactis vsum non probo, quia si vermes inuitat, putredinē stimulat: vehementius erit si cassia recēs extracta immisceatur ad ℥. ij. inbimatu, ad tres in triēnibus: vncia in his, qui adolescere incipiunt, admitti valet, vel semiuncia,

cum ℥. ij. vel rosati Mesue, vel è succo rosarum medicamenti. in teneriore ætate Diasebesten vel simplex vel soluens pro vsu sit, aut mel solutiuum, si frigus premat, rosatum si calor violatum: manna etiam inijcere ex decocto ordei & violarum quid prohibet? & quando copia visque ichoris & bilis premit, præstantissimum est infusum agarici in aqua lactis cum saccaro. omnium autem & efficacissimum, & ad ducendos aqueos crassosq; humores, laxanda intestina aptissimum clisteriorum genus est, ex aqua ordei, dulci oleo, cassia, & modico elaterij: vel succi ebuli, & sambuci, addita. ℥. j. vel ℨ. 5. pulueris. 5. feniculi.

De alteratione autem sic censeo, quæ præcautioni inseruit, eandem curationi esse accommodatam, sed auctiorem, cum præter caussam ipsamet in febris curanda sit. Hæc ad statum & putredinem magno satis impetu properat: itaq; & statim refrigerationi cū exsiccatione extenuatione detersione studendum est: vt quod in statu facere consuescimus, idipsum ferè incremento & initijs ad præseruationem quæramus; in communi vsu hæc sunt, Syrupus ex succo cicoreæ, ex succo endiuiæ, acetosæ, acetosus simplex, ex acido citri, cum decocto ordei, lentium, graminis, acetosæ, & id genus. at ego succis vtor libentius, atq; aquis, ne voraces puerorum venæ saccari dulcore allectæ maiores obstructiones & bilem contrahant, augeri solitam vsu dulcium, præcipuè cùm febris habet: sumo ipse succi acetosæ cicoreæ citri vel limonum, aceti añ. ℥. ij. vel iij. aquæ endiuiæ graminis añ. vnc. s. & sic misceo, in aurora exhiberi iubens. hæc validè refrigerant, præstantq; reliqua: Hoc tempore vehementi etiam, vt Auicennæ verbo vtar, lenificatione est opus, ni aluus profluat: lenit autem ipse ventrem tamarindis infusione prunorum, manna, ipse vtor rore, vel sero caprini lactis per ignem optime ex vitreo vase expressi, quod sub Dio per noctem serenam manserit: hoc vehementer lenierit, bilemq; ad exitum stimulauerit, si in eo prædicta infuderis. lenitio quippe leuis fæces ducit, vel leniendo, vt pruna & cassia; vel extenuando, & irritando, vt oximel, tartarum, vehemens bilem irritat estq; ex genere eorum, quæ Hippocrates irritamenta vocat, non scilicet pharmaca & soluentia, non merè lenientia sed stimulantia, quorum vsui subscribens Galenus non modo in hisce febribus, sed in omnibus in quibus morbi vis & magnitudo extimescitur, cuiusmodi sunt ter-

1. ad Glauc. ca. 10. „ tianæ spuriæ, ita scribit. in his verò quæ non exquisitæ sunt prouiden-
„ dum est pro viribus, ne morbus augeatur, ne ve ægrotantis vires

proster-

„ prosternantur & paulo post. Et quidem exymeli potio plurimos
„ iuuat, & aliquid ex his, quæ molliter ventrem subducunt, quibus
„ me assiduè vti nouisti, nec ego in malignis febribus atquè morbis "
quicquam inuenio, vel ad salutem vtilius, vel ad protrahendam "
mortem alacrius, quam repetitæ euacuationes, quibus multis labniosas difficiles & perniciosas ægritudines tandem concedere, Hippocrati obseruatum est. ergo & in febribus hisce fœdis lenire "
sæpius ventrem, nisi tempus excipias, in quo protuberant, est per- "
optimum maximè per œnemata, in quibus vel diasebesten simplicis. vel cassiæ recens extractæ, & tartari albi aliquid immixtum sit Quod vt benè cedat, cibis & dietæ eadem facultas insit, deter- "
gendi scilicet extenuandi aperiendi stimulandi, quod vsus præstat ordei, aceti succi limonum. feniculum aceto asseruatum saccaro aut melle. An hoc tempore carnium vsus admitti debeat, sic censeo; vbi febris celerem quandam præsefert concoctionem, spesquè concipitur salutis in quarta, septima, vndecima, aut saltem in quartadecima, acuties isthæc proculdubio tenuem victum postulat, qui & carnes & oua reijcit, propria victus pleni, si autem longior futura est ægrotatio, ne sic quidem carnes pueris concedere, tutum est, cum sanguinem, vt quisquè nouit, & cum humore calorem augeant, alioquin in ipsis validum & idcirco putredini, vermibus gignendis obnoxium: & si enim putredo concipitur vbi natiuus calor infractus in alienum degenerat, attamen haud magnam subierit putrefactionem, qui natura pusilli caloris sit, cum fortes morbi non nisi fortes naturas insequi soleant. lumbricos verò validum calorem quærere, vt enascantur, eosdemquè humoris & multi & dulcis sobolem "
existere, & vtrunquè carnis esu, & vsu augeri, compertum est, cum "
præsertim eas non benè mandant, vel inappetentia irretiti, vel ob "
ingluuiem deuorantes, quò fit, vt magis lædantur, non aliter, quã illi, qui vt Galenus admonuit inedia extenuati difficiles concoctu cibos ingurgitant. hac de caussa grauissimis, vt idem est author, morbis correpti. Hæc igitur de vsu carnium dictat morbus, & quadantenus etiam natura ipsa: nihilominus si viriũ ratio habeatur, interdum ex vsu est, carnes concedere pueris admodum mollibus facileq; extenuabilibus. Et ne virium tutela morbi sit incrementum (quia vt dicebat Galenus, quæ intus tuentur morbum adaugent) caro sit pauca, sit contusa, sit extenuans, vel natura, vel arte natura quidem, vt auicularum præcipuè alpestrium, caro edi, pulli gallinacei masculi, pulli columbini, vel syluestris, vel in turre nati;

Gal. 1. de alim. fac. cap. 2.

Gal. 1. ad Glauco. ca. de terțiana notha. 1. aph. 4.

ars verò cibos extenuantes reddit, feniculo limonum ſucco, aceto. deniquè non in augmento & ſtatu, ſed inter initia & fines caro admittenda eſt, ne in eum errorem incidamus. in tenui victu ægri
» delinquunt, ſi enim delinquere errare eſt, pueri ob ingluuiem &
» naturæ facilitatem facilè aberrant. ſi delinquere eſt animo deſtitui, itidem delinquunt, cum eorum natura maxime diffluat. Quorum vtrumq; Hippocrates paulò poſt explicat ſcribens ſenes facilè ie-
» iunium ferunt: omnium minimè pueri. ſunt duo errores, vt dici-
» tur, eſſentiales, qui in victu accidunt, nimis tenui dieta vti, & à tenuitatis præſcripto in plenitudinem declinare: primus naturam extenuat, & ſæpè interficit, & hoc innuit magnus ſenex dicens, in
» tenui victu ægri delinquunt. ſecundus auget, vt dixi cum Galeno, ægritudinem, & tantò magis, quantò eſt plenior victus priore iam conſtituto. 2. acutorum tex. 19. & 25. in aphoriſmo enim quarto primi libri damnat victum tenuem & exquiſitum hoc eſt adamuſſim præſcriptum in morbis, in quibus non eſt ex vſu, vt in diuturnis. in aphoriſmo. 5. rurſus docet, non temerè eum eſſe præſcribendum, cum in eo ægri peccare ſoleant facilius, & peccando magis lædi, quàm in pleno; quia ſi tenuiter aluntur, bileſcit ſanguis præſertim in bilioſis 2. acutorum co. 24. 25. & 29. ſi à tenui in craſſum tranſieunt, præ caloris imbecillitate ob inediam contracta crudefit, craſſeſcit, inquinatur. in 19. autem 24. & 25. contex. 2. acutorum damnans eos, qui nimia diæta extenuantes principiò ægrotos, mox in quarta alunt, grauius offendi eoſdem docet,
» qui à ieiunitate ſtatim in pleniorem victum tranſierint: cum ſcribit:
» maximè ergo læduntur, qui tota vtentur priſcana, niſi rectè tran-
» ferantur: læduntur quoq;, & qui ſolo vtentur cremore, quamquàm
» minus, lædentur quoq;, & qui ſolo vtentur potu, ſed hi minimè. error nempè hic eſt, at non in pleno, ſed in tenui iam præſcripto victu, vt tertius hinc in victu error queat conſtitui, imprudens tranſitio: quod erratum, ſicut & reliqua, eius eſt magnitudinis, vt non niſi ægrè errores in tenui victu ſiuè ab ægro ſiuè à medicis commiſſos corrigi poſſe, oſtem dat. de errore medici agit Hippo. 4. aphoriſmo primi. de errore ægri. 5. loquitur eiuſdem libri de erroneo dogmate medicorum 19. contex. 2. acutorum ergo inter initia pueri non ſunt inedia extenuandi, non tamen alendi plenius, cum morbus acutus ſit; ſed pluſculum alimento indigent, cum incipit, & inclinat malum, tenuiore autem, cum augeſcit, & viget.

Quæ

Quæ tractatio sit erumpentium variolarum.



HAEC de agendis, priusquàm fœdetur pellis. erumpens autem variola iam difficiliorem curam facit: in primis enim humor permotus deterior fit, sicuti & caussa ferè quæuis mota. lumbrici cum mouentur, deterius angunt: Auicennas cap. de lumbricis. arenulæ cum mouentur, acerbiores. 2. in 6. de morb. vulg. co. 6. deinde complicatur febris cum hoc symptomate, ac exeunte, quod pro exitu calida postulat, cum primarius malus, febris, inquam, contraria efflagitet. vnde hoc mali statu in controuersiam vertitur, & potus aquæ, & vsus refrigerantium, repellentium, admonendorum. vinum non paucis admittitur, aquam improbantibus, vt pote quæ non modò moratur nimium in hypocondrijs, sed facilè, vt legimus apud Hippocratem, alteratur, & quod in hoc morbi statu est deterrimum, variolas exeuntes vel reuocat, cum sit frigida, vel non satis fundit, quas profundi est peroptimum, cum, vt ait Auicennas, modus quidam sint crisis; addit vulgus, conualescere, qui potant vinum, qui aquam, interire: veruntamen siuè febrē, siue eius caussam, bilem, dico, putredinemq; considero, si eiusdem symptomata, si variolas, & penes morbi tempus, quo apparent, & quoad propriam naturam specto, non ipse vnquàm vini potum, magis verò aquæ recipiendum esse, existimem: à febre quidem, à bile, à putredine, à tempore morbi, quo extuberant, quod vel initium, vel augmentum est; tempus adhuc cruditatis plenum, vini vires alienas esse in Galeni scola compertum est. ex symptomatibus etiam, si vigiliæ infestant, vinum peruigiles reddit puerulos, si somnolentiæ, sopitos, si turbatio mentis, deliros 1. in 1. prorrh. co. 8. si dolor, vini vsu ingrauescit magis, vnde Hippocrates. Cum „ verò in huiusmodi morbis furorem capitis grauitate, vel mentis „ læsionem suspicatus fueris, à vino penitus est abstinendum, nec sitis „ tantū, sed inappetentia ipsa etiam pueros caloris iniuria, vt aliàs etiam in acutis morbis fit, à cibo auertens augescit calore vini. iam nec variolarū effusioni conducit vinū, si adstringit, vt si pereunt, qui bibūt aquā, dispereant, quibus vinū cōcessum est, præsertim exustiores, desidēte hic de causa interdū cruore atro, & corrodente: Hoc tē-

Idem 4. de morbis de lapide invesica.

Hipp. 3. acut. 41.

pore conueniunt frigida, non merè calida, calida, vt effundatur putredo, frigida, vt reprimatur putridus & febrilis calor. hæc mera intrudunt pustulas. ea verò accendunt magis. ergo dum exeunt, vel cum frigidis aliqua calida, vel cum calidis frigida immiscenda sunt.
" vnde Auicennas: cum pertransierit ægritudo diem secundum, &
" incipient variolæ apparere, tunc fortasse erit infrigidatio caussa er-
" roris magni &c. veruntamen idem author syrupum proponit, confectum etiam ex frigidis. Rasis etiam calida non reijciens, vt caricam laccam & id genus medicamenta, quæ vim habent ciendi hu-
" moris, aliquando in hanc sententiam descendit. & si patiens non ca
" leat, curetur cum calefacientibus, & abstine ab eis; si adsit febris
" continua, & nigredo linguæ, sicuti cum petechiæ præsertim nigræ,
" & in austrina & calida tempestate accedunt, hic scilicet & ab ambiente indicatio sumitur, refrigerandi, & affectiones implicatæ adsunt, sat vrens febris, & pustularum erupitio, calidis adiuuanda, nisi febris ab hoc consilio dehortaretur, frigidis compesci amans; omnino tamen hæc etiam materies exiens explodenda est, id verò per aliqua calida, & extenuantia ergo vbi febris, & materia acrior & maligna est, frigidis aliquo cum calore, vbi mitior, calidis quadam cum frigefactione vtendum est, nec id duntaxat febris caussa, sed etiam putredinis, quæ non modò calidis, quatenus siccant, sed etiam, imò verò propriè frigidis emendatur. Nec repercussio omnino absit, refrigerantium multorum propria: caloris si quidem est trahere, repellere frigoris: actu frigida repellunt, repercutiunt etiam, quæ actu calent, sed vim refrigerandi habent: vt rosatum,
1. ad Glauc. ca. 15. oxyrodinum, & quæ ex capitibus papaueris medicamenta fiunt genus repellens in refrigerantium materia situm est iam verò
Gal. 6. catatopus cap. 1. non nihil, vt dixi, sunt frigida, quæ erumpentibus variolis arripiuntur: hisce igitur eisdem aliqua insit repulsandi virtus, necesse est: non equidem ratione existimi corporis, ad quod fundi labem, est salutare, sed caussa intimornm viscerum: constat enim, conspurcari aliquando iecur malis fontem; constat, eodem turbari ventriculum, qui cum lingua pustulis fœdata nectitur constat suffocari pulmones, maximum, corde semper excepto, vt puritatis, sic turpitudinis principiũ in animantibus sanguine præditis. his igitur prospiciendum est repulsione: & si enim potius est effundi humorem, quàm in visceribus contineri, grauius attamen est, fœdari pelliculam epatis, quam intus affici substantiam visceris: quod enim eo conspurcatur modo, aliquando supputrescat, & saniescat, est necessarium:

ſarium; humor autem in venis manens iecinoris fundi aliquando ſiue pure, ſiue tabo per vrinam aut vẽtrem poteſt: ratione igitur partium internarum, quarũ pleræq;, ſicuti per amplexum & adſtrictionem agunt, ſic adſtringentibus conſeruantur, operæ præcium eſt, repercutere, nec id leuiter, ſicuti nec leuis eſt interdum furor, quo materies hæc praua introſum vertitur. quod fit præſertim, cum iam plena puſtularum pellis confluentem arcet. nam repulſio ex oppletione fit. 3. de fracturis com. 8. inſuper non leuis eſſe, debet refrigeratio, quæ typhodem febrem, quæ ſat magnam ſit putredinem repreſſura. neceſſariè igitur & magna ſatis eſſe debet repulſio. Eſt autem huiuſmodi, quæ non ſine adſtrictione aliqua comparatur: adſtrictione medicinarum videtur comes, quæ expiant putredinem, vt tamarindorum, terrarum: adſtrictio cuiuſq; ſubſtantiæ ob putredinem flacceſcentis & fluxæ medela eſt: at hæc labes miſeros pueros in hoc morbo exoluit: adſtrictio igitur frigefactioni, hæc calori addenda eſt: frigiditas ſanguinem temperat: calor expulſionem eius, quod in ſanguine ſpurci eſt, iuuat, & cumulat. protinus enim, quod prius non omnino repulimus, debet diſſipari Galeno iudice; diſsipat autem vnus calor, qui & digerit. 14. meth. 18. cum frigus è contra cogat. Sed in hac opera medicus hæc obſeruet. primùm ne acribus vtatur, ab his enim excitatur dolor, qui vt docuit Galenus, natura fluxiones mouet. deinde ne frigida nimium ſeligat. decreuit in ſua arte medica Galenus, quantũ vnum quodq; calidius aut frigidius factum eſt, tantundem refrigerare, & calefacere opus eſſe: itaque hic frigida vel in tertio (quartus gradus venenum eſt) vel in ſecundò requirantur, cum & humor peccans non modo ſit valdè calens, ſed corrodat ſæpenumerò; opus eſſet hic portulaca, ſemperuiuo, pſyllio, ſolano, polygono, lenticula paluſtri, & id genus infrigidantibus: ſed hæc craſſefaciunt, impingunt, & vt Galenus retulit, indurant, cum terreſtris & aqueæ ſubſtantiæ facultatem gerant, communem cum cicoraceis, ſed in his debilem, in illis fortiſsimam, ex qua & induratio non ſolùm frigoris & ſicci iniuria, ſed multò prius ob humoris, qui congelet, pertinatiam, non extenuando, & digerendo, ſed ſubſtantiæ exolutionem prohibendo, exoritur; quod mali non ſolùm in duris euitandum abſceſsibus, crudiſq; ſuccis, ſed in exurentibus herpetibus, atque corroſis: in quibus euitabat Galenus polygonum, lentem ex ſtagnis, paluſtrem lotum, anthylion, pſyllion, portulacam, ſerin, ſemperuiuum. igitur etſi varioloſa bilis aliquando corrodat,

Gal. lib. ar. medic. cap. 95.

Gal. loco cit. & 5. aph. 23. & 7. aph. 25.

Gal. 5. ſimpl. 10.

vrat, cum est malignior, attamen non his tentanda medelis est, sed mitioribus, cum præsertim incipit pulsare cutem: est huius consilij egregius minister acetum, quod ita est frigidum & calidum, vt simul Galeno teste repellat; & digerat. vnde præter cæteras egregias illius dotes, inter quas elucet subtilis quædam, vt dicebat Auicennas, ac mira infrigidatio, & illud vim ostendit remedij, quòd non modò aperit, incidit extenuat, digerit, sed repellit, dissipat, dissipat extenuando cuiusdam caloris vi; acetum enim cum non sine putredine fiat, partes quasdam calidas retinet. repellit refrigerando & adstringendo: vndè illud sequitur, de quo pulchre Galenus. vasa præterea, vigore ex medicaminibus adstringentibus addito, à se ad alia remittent. si igitur hac via superfluum omne retrocesserit, benè se res habent, &c. id quod potissimùm vsu venit, cum aliquis turgendi infestat spiritus, vt in his febribus. hæc Galeni mens est, nec ab ea alienus est Auicennas: & si enim damnat ea, quæ omnino sunt pontica, & adstringentia, syrupum tamen acetosum & is eo nomine extollit, quòd inflammationes prohibeat, quæ facultas non sine adstrictione quadam potest constitui, cum inflammationes adstringentibus repellantur: sed ex acetosis is seligatur, qui ex saccaro sit confectus. est etiam apta materies aqua ordei. Tertiò plus minus refrigerandum, prout plus minusve pituitæ & bilis insit. Quartò obseruandum, ne cum aut alui fluxus solicitat, aut dorsi dolor excruciat, aut ventris subuersio perturbat, acida exhibeantur, & extergentia. Quintò lumbricis iam, oculis, visceribus prospiciendum est pariter diligentius.

Gal. 14. meth. 7.

Gal. lib. ar. medi. 94.

Auic. in tr. de syrupo acetoso.

Varia ad prædictos scopos remedia proponuntur.

N communi vsu est syrupus ex duabus radicibus, placet etiam acetosus compositus.

Rasis 2. continentis lib. 18. cap. 8. multi experientiæ remedium esse dicit, hoc.

℞. Caricas albas. v.
Passularum enucleatarum.
Aureolos. x.
Laccæ mundatæ. ℥. v.
Sed hæc apud nos bona saltem non inuenitur.
Draganti. ℥. iij.
Croci. Aureol. 5.

Coquantur in tribus rotulis aquæ ad tertias: & medicamenti huius tertia rotula propinetur in aurora idquè triduum. vt enim tertia quartauè ad summum die incipit hæc turpitudo efflorescere, sic tribus quatuorue diebus durat concitatior saltem effusio: hoc auxilij Auicennæ etiam probatum est. addunt alij, vt Valesius de Taranta, aliquas medicinas, quæ reprimunt, vt rosas, sandalos, spodium, sem. citoniorum, & est descriptio talis.

℞. Caricarum.		nu.	xv.
Phisticorum. S. Feniculi. Apij.		℥.	ij.
Laccæ.	an.	℥.	iij.
Lentium excorticatarum. Gummi diadraganti Ros. rubearum. Spodij.		vnc.	15.
S. Citoniorum.	an.	vnc.	s.

Lens & rosa expellunt. Paul. lib. 3. ca. 23.

Coquantur in octo lib. aquæ ad tertias: & in fine coctionis adde Croci. ℥. iij. Detur mane & vesperi.

Laudat etiã oxisaccara cũ saccaro rosato. ab Auic. rob de ribes, & de acetosa, & rob de agresta, & aqua fructũ acetosorũ & rob de piris, & de

„ citonijs, quæ etiam pectori & oculis amica ſunt. iſta enim ingroſ-
„ ſant ait Valeſius, & infrigidant ſanguinem, & prohibent ipſum ab
„ ebullitione, & tuentur ſtomachum & inteſtina. ad idem valet aqua granatorum & ſumach, quod etiam oculis confert, & id genus. Sed vbi viget febris, medicinæ huius calor extimeatur, niſi vel primi vel ſecundi ordinis frigida miſceantur: placet valde, ſi decoctio in aceto fiat; placet ſuccus limonum, qui vim penè aceti habet, non diſplicet etiam cicorij vel ſuccus, vel aqua ſtillatitia, aut decoctio. idem aio de endiuia, acetoſa, quæ etiam lumbricos arcent, non reiectis melonum ſeminibus; & vbi grandis adſit feruor, etiam cucurbitæ, aliorumq; frigidorum, vt calor inſignis inſigni etiam frigore temperetur. in communi vſu eſt decoctum ordei, lentium, caricarum, radicum feniculi, hoc ne improbetur, ſed tamen frigidis miſceatur: nec coclearum decoctum ſilentio inuolui debet,
Auic. li. 3. fen. 14. tr. 1. cap. 18. quod Auicennæ placuit pro iecore exobſtruendo, ſed acetum permiſceatur: quod ego magnifacio, aqua ordei, vt aiunt, ferrata eſt, in qua ſcilicet vel candens ferrum extinctum ſit, vel ferrea cauernæ ferri facultas inſit: Hæc refrigerat, exſiccat, repellit, aperit, abſumit: vnde aliqui ad lienis ſcirrhos leuandos vtuntur aqua, vel dulci, vel ex fumaria luppulis ve extracta, in qua calibis limatura infuſa ſit. Hæc igitur ipſa dum febrem temperat, putredinem expiat, interim etiam variolas & repellit ab intimo & explodit, eaſdem corroſas, & putres curans, ſicuti & ferri ærugo maligna vlcera Ga-
Gal. 4. catageni. leno, quæ proculdubio putrida ſunt: ſi hac ipſa in aqua capillus veneris cicorium, acetum, ſaccarum ebullierint, erit ſimul & gratior, & penetrantior: ſed vbi vrticæ decoctum relinquo? quæ adſtringit ſimul & aperit, repellit ac digerit, aluum ſoluit, iecur expurgat, cutem pulſat, atq; ſolicitat? tenuis exiſtens ſubſtantiæ, &
Gal. 6. ſimpl. citra morſum, vt ait Galenus, calida? vnde ad intimas etiam; inflammationes vti etiam Galeno eidem Aloes commendatur? ſi quis
Gal. 13. meth. 20. & 18. eius calorem veretur, incoquat frigida: ſambuci etiam eadem penè facultas eſt. Sed fortisſimum erit medicamentum, ſi quis de Galeni more aggreget & intentiones & medelas; vt enim breuisſima via eſt, vti fortibus. 14. methodi. 7. quod de euacuantibus definitè docuit lib. art. med. cap. 95. ſic fortis eſt curatio, non ſolùm vnum vel alterum, ſed multa componere, quæ ſint fortia. itaq; hic oportet ſumere, ordei non excorticati ſemilibram.

Lentium

Lentium. vnc. iij.
Vrticæ. } an. m. s.
Sambuci.
Cap. veneris. m. j.
Caricarum. nu. vij.
Radicum graminis. } an. nu. ij.
Cicorij.
Acetosæ.
Galegæ.
Sem. Citri. } an. ʒ. ij.
Citoniorum.
Plantaginis.
Feniculi.
Quatuor. s. frigidorum. vnc. j.
Lumbricorum terrestrium in pollionem redactorum, & in petia ligatorum. vnc. s.
Contusa ebulliant in aqua callibeata. S. A.
Deinde ℞. dicti decocti plus minus per ætate pueri vt vnc. ij. vel iij.
Succi citri vel limonis. } an. vnc. s.
Aceti albi.
Zuc. parum. misce pro syrupo.
Si quis ab hoc abhorreret, sumat. ℥. s. huius pulueris.
℞. s. vrticæ. } an. ʒ. s.
Feniculi.
Citri.
Dictamitretici.
Se. Acetosæ. } an. ʒ. 1.
Cicorij.
Citoniorum.
Papaueris albi.
Boli armeni orientalis.
Terræ sigillatæ.
Sp. dialaccæ g. iiij.
Redigantur in pollinem tenuissimum, & si libet, etiam in bucellas addito saccaro.
Suauissimum autem, & quo pueri facilè decipiuntur, est hoc.
℞. Aquæ cap. veneris. } an. vnc. s.
Betonicæ.
Feniculi.

Aquæ endiuiæ.
Acetosæ. an. vnc. j.
Cicorij.
Stillati, vel iusculi parum.
Detur ad libitum, præcipuè in aurora.

Quam ad formam etiam syrupum iam dictum referendum, curo, vbi rem habeo cum declicatulis & morosis, quos & iusculis tantùm curare est, cibisq; medica facultate præditis, vt asparago, feniculo, caricis, seminibus melonum, citro, limonibus, salsa, ordeo, milio, lentibus, quibus vti etiam debet nutrix, acetarijs ex cicorio & endiuia: fricandum insuper corpus est, inurendumquè cucurbitulis, scalpello addito, cum ætas fert: & cum subest plenitudo, aut certè cacochymia copiosa, hirudines vtiliter admouentur emissarijs, nam id auxilij putrem humorem prolicit, sanguinem temperat, flammas mitigat: vnde & petechias antè vertit: sed diligentia adhibenda est; ne plus æquo effluat sanguis hic feruens, & concitatus: vbi aloes pro vsu est, gypsum, calcanthum, leporis pili, gluten, vt enim arteria non nisi glutine quodam à natura genito coalescit. 5. methodi. 7. sic gluten & venarum & arteriarum effusiones curat. Sed his præstat digitus, compresſio, vincula. vbi hæc non sufficiunt, ad illitionem veniendum est ex vnguento Aætij, ad ciendas papulas comparato, quod ex oleo, nitro, aqua, cera conficitur. Plinius lib. 20. cap. 20. portulacam laudat cum polenta, aceto, sale ad pustulas: hic portulaca obest; frico ipse vel linteolo vel manu, quæ tacta sit vino albo, in quo vel sal, vel nitrum, & si vt in bruma, opus sit, sulphur ipsum infusum sit. idem præstant acria quælibet calidarum partium atquè tenuium: theriaces pro pueris nimium agit. motum etiam hunc adiuuat iracundia, sed inflammat sanguinem. Aer ad calidum declinet supellex sit rubea; odorata.

Quibus vti oporteat, cum pusillæ apparent.



CVM autem iam sub florescere ac videri, incipiũt, pro vsu sunt, quæ, vt dixi, & cient, & digerũt erumpentem putredinem; ne tanta post modum pellem deturpet: nam si Gale. papulis erumpentibus non ab horret ab his, quæ ex alto trahunt succos, quæ iam eruperunt excremẽta, dissipare ante maturitatem cur formidemus? ipse ordei & maluarum coctione vtor, vel caulium, vrticæue, de quo Galenus.

nus. 7. simplicium cap. de brasfica: aqua etiam sambuci ad hunc vsum facit, authore Plinio, qui sambuci tactu curat sudamina: ad hunc vsum idē author tytimalos omnes laudat lib. 25. ca. 15. sed omnium validissimum est decoctū albi ellebori, de quo Auic. in libro de decoratione & radix ireos, de qua idem author lib. 4. fen. 17. tr. 3. cap. 1. his fortius existit balneum, quod non modò febrem, quà febris est, igneum, dico, calorem (hæc enim illius est essentia. 3. de fract. co. 8. & alibi) frigido suo humore temperat, sed
„ præterea bilem lenit, & discutit. nec obstat aphorismus ille. si fe- 3. aph.
„ bris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solu- 42.
„ tio fit febris, ea enim lex cum de capitis aspersione sit lata febres tantùm eas, quæ in cerebru, idq; ex pituita accēdūtur, complectens biliosas excludit, ne fortasfis calore aquæ bilis fundatur, quæ nec in capite innasci, solet, quamuis ibidem aggregari: at nos febrem in toto præsertim verò in iecore accensam curamus, nec eam ex pituita, sed ex bile, vel bile cum pituita: nil igitur commoueri ea lege debeo. si enim Diuinus Hippocrates caput perfundit aqua, cur ipse verear, excepto capite, totum perfundere? si idem artis parens pituitam eodem tentat præsidio dissipare, cur non & alumni auferint bilem, succum tenuiorem, si præsertim, vt in hoc casu, sit ichoroides, hoc eodem remedio tangere? humorem, qui facilius, crassa saltem pituita, excutitur? & eo magis, quò minus eundem videmus magistrum abhorrere ab vsu tepidæ, cum vel nihil, vel parcè sanguis expectatus è nare profluit? Quid ergo vsum hunc prohibet? febris ne, vt ardens, vt biliosa, vt putrida? non equidem: patet veritas, nullis debet implicari, & obscurari difficultatibns: quis enim nesciat, ardoris germanam extinctionem & medelam esse intus potum largiorem frigidæ, extra verò balneum tepidæ? vt enim frigida epota non solùm propria vi restinguit ignem, sed etiam per accidens, hoc est, vt Razæ medico placuit, reiectaneos humores ad cutem fundens, sic tepens & ipsa pellem tangens cum bile calorem dissipando naturam refrigerat. hac ipsa etiam medela videmus ablui, & detergi putredinem, quæ vt calida, frigidis, vt humens, siccis, vt siccior præ calore igneo, humidis, vt innatum calorem delet, modicè calidis vel temperatis, vt vino, restituitur; cum igitur putredini balneum non reclamet, quid est tandem, quòd aduersetur? pustulæ ne, quibus amicum est? 6. epid. sect. 2. tex. & co. 30. tumor ne aliquis intestinus? ne is quidem: ignem sacrum Aætius curat balneo: libro quinto cap. 88.

quamuis à Galeno improbetur. 3. ac vlt, vbi vrit inteſtinus phlegmon, & quo in phlegmone ſiue inflamine manat ſanguis. 5. aphor. 23. niſi aquam admoneas, non loco, & tuberi exulcerato, & fundenti ſanguinem, ſed circumcirca, & vnde fluit, & eam frigidam: frigidum enim vlceribus mordax, calidum non ita: quinimo dolores lenit, maturatquè crudiora. vnde idem ſenex multa expertus ait. calida eſt ſupuratoria 4. aphor. 22. cum igitur nec tepor, nec aqua puſtulis, putredini, bili, febri infenſa, quin amica ſit, quis eam curatione variolarum, & cum ſuppurantur, & antea non admittat? niſi putredo ita ſit grandis, vt aliquid omnino addendum ſit, quod & eam acrius reprimat exſiccado, & bilem educat facilius: bilis enim plus educunt aquæ marinæ ſalſæ, nitroſæ, ſulfureæ, ſed multò minus proſunt tertianæ: amaroris iſthæc prærogatiua eſt, vel ſi vt docuit Galenus, cum acerba qualitate coniunctus ſit; at multò magis amarori bilem concedere, neceſſe eſt, cum per balneum & aquã agit; laxat inquam, non ſolùm detergit, atq; extenuat. Sed hæc ommittenda ſunt adeo acria, nedum aqua lenire, & diſſipare ſtudium eſt bilem, eandem temerè irritemus, & aggregemus. balneum igitur nihil prohibet in hoc caſu, niſi quis cruditatem formidet; at hanc poſt totius euacuationem à Galeno non timori conſtat, relato com. vlt. 3. de rat. in acutis morbis. ſed procul ſit balneum à natura puerili, vt pote quæ nimirum exolui ſolet: perfuſiones & lenimenta ex decoctis aptis recipiantur: ex mitisſimis eligerem aquam lactis quàm purgatiſsimam: aquam fumariæ, luppulorum, cum aqua maluæ: ex fortioribus agarici infuſum, vel radicum ciclaminis decoctum, non ſine meliloto, & maluis. ciclamen enim ſicuti bilem per ſudores prolicit. 7. de ſimpl. med. facult. ita eandem in cute iam efflorescentem poteſt aliqua ex parte diſſoluere. his tenuia molliaq; linteola poſſunt imbui, ſicq; corpuſculis admoueri: tempus ſit procul ab acceſsionibus: protinusq; mador extergi debet pannis modicè calidis, vt ne vel frigore claudi meatus, vel calore aperiri plus æquo posſint, ſed, quæ madefaciunt, abſint omnia: quis tenerrima herbarum folia non lubens admittat; quæ præſertim tepido aliquo ſucco vel decocto vel aqua intabuerint? ad hunc vſum faciunt vrticæ folia, quæ calida leuiter reſperſa pruriginoſum illum tactum amiſerint: faciunt eliotropij, ſerpentariæ magnæ folia, quæ in calidam merſa extabuerint.

3. ac. vlt.

Quid

Quid agendum sit, postquàm factæ maiusculæ omnino eruperunt.


I omnino expurgantur venæ, euestigio cessat febris, reuertitur appetẽtia, à lectulis surgunt pueri, sed plerunquè germina relinquuntur, præsertim in his malignis, adeò multa & crassa est earum soboles. erumpunt crudis etiam num existentibus vrinis, in eo morbi principio, quod cruditate, & triduo quatriduoue constituitur. Et hanc existimo esse caussam, cur Auicennas dixerit. variolæ sunt modus quidam crisis: per modum intelligens non modo typum & speciem quandam Iudicij, more Hippocratis & Galeni, qui modi nomine typum aliquando audiere, sed morem quendam, non scilicet omnino decernentem de salute ægri, cum morbo crudo nihil iudicatorij apparere, queat; non prorsus symptomaticum & laboriosum, cùm & in die iudiciali sæpenumerò exeant, & quod crisim sapit magis, nonnihil febrem reuelent: sed more medio: sunt etiam modus quidam crisis, propterea quòd non semper sunt crisis in respectu febris, sed interdum ratione venosi generis, & excrementi, non scilicet prægressam ex putredine febrem sed biliosum sanguinem, iudicantes qui, dum mouetur, febrem accendit quidem, sed à valida vi explosus omnino explodit febrem, perseuerantem, vbi grandis adhuc & copia & corruptio intus exardet. tunc variolæ sunt alius quidam typus iudicij, decretorius nempe non iudicans, & idcirco malignitatis signum Galeno Iudice. Hoc ergo tempore tria curanda sunt; febris, variolæ, Symptomata, de quibus postea, ad febrem refero caussam, biliosum sanguinem putredinem, obstructiones. hæc tria iam magis exardescunt, quia & bipartitò morbus, temporis videlicet ratione, quod augmentum dicitur, & propriam ob prauitatem augescit: augeri enim non solùm dicit incessum morbi, qui, vt paruus, fit maior, sed, vt aduotauit Galenus, etiam peiorem morbi conditionem accedentem, *Gal. 1. in* quæ dubiò procul malignarum febrium est propria, sicuti etiam *3. 3.* in iudicatorijs diebus sæuire magis: prauitas verò omnis à prauo humore acri videlicet exusto satis & crasso oritur: qui, vt sæpè à Galeno accepimus, indies magis atquè magis fit acrior, & malignior, ad atram bilem accedens, cum benignus stipulæ instar plus

„ minus ardeat pro febris tempore: & hoc, ni fallor, eſt, quod Galenus
„ relato loco ſcribit. videtur increſcere morbus, non quaſi paruus
„ aut à qualibet profectus affectione corporis: ſed cum ipſe ingens
„ tum cauſſam habens non leuem. in malignis ergo variolis quotidie humor exacerbatur, fit acrior, fit craſſior ob aduſtionem, fit magis hærens, & obſtruens, & putrefaciens. itaq; per id temporis, in quo & maiuſculæ fiunt puſtulæ, & non raro petechiæ ſuperueniunt, iam magis putredini, obſtructionibus, bili, febri obſiſtendum per frigida, extenuantia, aperientia: hic acida ſemper adſint, vt cum extenuatione preſtò adſit valida exſiccatio: hæc inter initia maior conceditur, cum & refrigeratio minor (calida enim cæteris paribus exſiccant magis) ſit neceſſaria; & non tanta ſit adhuc, vt in augmento concepta acrimonia bilioſi ſanguinis: in progreſſu minor exſiccatio, maior refrigeratio deſideratur, vt febri, bili, putredini inflammatiori proſpiciamus, nam putredo, vt humoris vitium eſt, per ſicca, vt caloris in alienum degenerantis, per frigida expiatur & prout hic vel ille magis excedit, ſic frigefactio vel exſiccatio maior requiritur; quæ varietas in putreſcentem deniq; humorem refertur: & tempus morbi, nam cum inchoat, humidior, cum augeſcit, ſiccior exiſtit ſanguis. iam verò poſt variolarū eruptionem ſicceſcit pluſculum, igneſcitq; morbus, quàm cum erumperent, igitur minus exſiccandum, magis verò refrigerandum eſt, quàm eo tempore: ſed adſtrictio hinc omnis abſit, niſi quis non cum extimis variolis intimas, ſed poſtquam eæ prodierint, ob maiorem ſcilicet humoris, ex quo concreſcunt, craſſitiem exoriri putet: adſtringentia ſcilicet, quantùm (mixta cum aperientibus) & locos roborant, & exprimunt, tanquam digiti, ſicq; aperiunt, & inter aperiendum explodunt ſuccos malos è corpore, intimasq; variolas prohibent, tantundem lædunt, vbi iam de igne, de ferueſcente indies ſanguine, cōpeſcēdo de venarū reſeratione agitur, vel certè magis, quàm antea: hæc quin etiam medēdi ratio petechias, & atrum præ vſtione humorem præuenit. Vt autem frigefactio ſit maior, mel, calida, omnino abſint: non deſunt, quæ citra calorem extenuandi & aperiendi vim habent, vt ordeum, gramen, cicorium, capillus veneris, aquæ præterea diſtillatę decoctis, ſucci aquis, ſemina radicibus, radices folijs præferantur. radices enim & ſemina, ſicuti plus terræ participant, ſic vel maiorē vim ſiue calidam ſiue frigidam vel pertinacius naturā obtinent. Demum copia ſit maior, præſertim in ſtatu & in pueris in naturis, tēporibusq; calidioribus. Quod ad victum pertinet, hic

ptiſana

ptisana integro ordeo est aptior, quia vt 1. acutorum docet Hippocratres, adstrictionis est expers; hic ad statum vsquè debet imminui, sed non valde, vbi atræ bilis ob exustionem concretio pertimescitur. tunc carnium stillatitius liquor cum aquis distillatis frigidis propinetur, aut succus quispiam ex dictis vna cum decocto seminum, vt.

℞. Succi Cicoreæ.
Acetosæ.
Citri.
Aceti albi. } an. ℥. ij.

Decoctionis ordei sine cortice.
Graminis.
Cap. veneris.
S. Frigidorum. } vnc. 15.

Succari parum. misce pro syrupo.
Vel hunc in modum.

℞. Ordei. p. 1.
Lentium. p. 5.

Radicum graminis.
Cicorij.
Endiuiæ.
Acetosæ. } an. nu. iij.

Sem. Frigidorum. vnc. j.

Limonis.
Citri. } an. frustulum. j.

Cap. Veneris. m. j.
Ebulliant. S. A.

℞. Dicti decocti. vnc. iij. vel iiij.
In adulto. vnc. vj. & xij.

Syrupi acetosi. s. vnc. j. vel vnc. ij. vsq; ad tres.
Misce pro syrupo.
Possunt & aquæ exhiberi solæ.
Neque hic desint puluisculi amuletici, & ij. frigidiores, vt.

℞. Boli

℞. Boli armeni orientalis.		
Terræ lemniæ.		
Samiæ.		
Margar. ꝑꝑ.		
Fragmentorum precios.	an.	℈. s.
S. Portulacæ.		
Endiuiæ.		
Acetosæ.		
Et si puer euomat, Citri & Citoniorum.		

Tenuissimè contrita cum prædicto syrupo ad ℈. s. vel j. exhibeantur. sed aquas libentius potant. his copiosis vel petechias nigras interdum curari, video: cauendis tamen, vbi incidit & puer natura pituitosior, & anni tempestas frigida, ne vel in cachexiam, vel in spirandi difficultates incidant, aut epelepsiam. Dum autem hæc fiunt, interim alternis diebus solicitari debet aluus, (nisi sponte deijciat) iniecto œnemate ex cassiæ recens extractæ. ʒ. ij. vel iij. ad semiunciam in grandiusculis ex tantulo saccari optimi cum semilibra aut libra aquæ ordei, vel decoctionis communis. in puerulo saccari vncia sufficit, & liquor ad vnc. vj. vel suppositorium ex melle: leniri etiam sæpè aluum per cassiam tamarindos, pruna, vel in substantia, vel ad infusionem aqueum ve humorem expressa igne, licet. his adnumero serum expurgatissimum, addito acetoso aliquo: manna, quia serosos duntaxat humores ducit, caletq; satis, cum præsertim acrius est ob vetustatem, ommittatur hoc tempore: recens etiam omnino cum frigidis vt ordei & acetosæ decocto permisceatur. cum autem iam humoris concontio adest, nisi naturà sponte per aluum iudicet, ars purgandi accedat. iudicat autem natura per deiectionem plerunq; crassior enim est materia, quàm, vt per sudorem, vrinas, sanguineumvè è naribus extrudi queat: tandem igitur vi naturæ & artis elaboratior aliqua saltem ex parte deijcitur: quod reliquum est, per vrinas & sudores prodit. aliquando etiam, vbi ægri vires valent, mictus tamen crudior peeseuerat, abscessus, vt & aliàs à magno Hippocrate prædictum est, oritur in cruribus, in brachijs, sub axillis, intestibus: vt quà humor tandem pro naturæ iussu exit, eà duci oporteat in adultis optimum erit pharmacum, si accipias.

Syrupi rosati solutiui. vnc. ij. vel iij.
Confectionis Hamech. ʒ. ij. vel iij.

Cum

Cum mannæ recentis ſemiuncia.
Et aqua ordei. fiat potio, vel in bolo.
Caſsiæ recens extractæ.
Diacatholicon. an. ℨ. iiij.
Confectionis Hamech. ℨ. ij.
Diaſinici. ℨ. j.
Pro puerulis caſsiæ. ℨ. ij. vel iij. vel iiij. vel vj.
Pro annorum numero cui addicias pro qualibet. ℨ. ℈. ſ. rhabarbari aut ℈. j. ellectuarij.
Roſ. Meſ.
Vel pro potu.
Sir. roſ. ſolutiui. vnc. j. in quadriennibus Diacatholici. ℨ. ij. cum aqua fumi terræ fiat potio breuis. poteſt etiam fieri infuſio, vt in ſeptennibus.
℞. Sennæ. ℨ. j. ſ.
Rhab. el. ℨ. ſ.
Infundantur per horas. xij. in vnc. iij. aquæ cicorij, & expresſionem capiat in aurora cum tantulo vel ſaccari, vel mannæ.

Si quis ab omni medicamento abhorret, caſsiam conditam, ſerum cum manna exhibeo, vel ſerum rori expoſitum, vel ipſum rorem, in quo & fercula coqui ſolent. Quod autem pertinet ad variolas, hoc tempore nec ſatis queunt diſcuti, vt incipientes, nec maturatæ expungi, vt iam penitus abſolutæ.

De curandis variolis internis, & febricula, quàm illæ ferunt.



SED in abdita magis penetremus: neq; enim eſt medici vulgo nota, ſed quæ abditiora ſunt, perſequi, & docere: euenit ſæpe numerò, vt in his febribus materia peccans eliminetur, & ceſſet febris, ſed quia introrſum etiam exploſa eſt per variolas partium intimarum, idcirco illis excalfieri, & ſanieſcere, incipientibus, febricula accenditur: cuius notæ ſunt. puſtulæ in lingua & faucibus. inteſtinus quidam calor, irrequies. rigores quidam obſcuri, præſertim in dorſo, & veſpertini. & cum iam ſuppurantur, pulſus aſsimiles pulſibus ſuppuratorum: ad hæc ſubrubent genæ: quia

calor non multus eſt, ex quo, vt docet Galenus. 3. de fracturis. 8. rubor oriri poſsit: ſitis item inappetentia infeſtat maximè: vrinæ ſanis aſsimiles. demum & cruſtæ in excretis aliquando agnoſcuntur. mali autem curatio eſt aer temperatus. fercula ex ordeo integro percocto in iure calibeato: limonum ſuccus, & maluarum: vt hic maturet, ille extergat, & veluti reſecet: decocta item ex ordeo, tritico, quibus & pro ſyrupo vti licet, & ablutione oris: quod & vtiliter abluitur ſero lactis, in quo candens ferrum extinctum ſit cum portiuncula vini granatorum: præſtantiſsimam experior aquam fabrorum cum modico limonis ſucco & iulep violato. item decoctum. 5. bambacis & ſumach, & citri cum iulep roſato. & ſi enim horum vi, vt patet experimento thermarum, puſtulæ exeunt, attamen eorumdem virtute etiam reſecantur. his addenda eſt aqua plantaginis vrticæ conſolidæ, & polygoni, cum exuleratio vel adeſt, vel extimeſcitur. id enim mali ſi pueros præhendat, nō aliter, quàm vlcera in hydropicis, difficilè admodum curari ſolet, cum humor per hanc ætatem nimius ſit, præſertim in capite: de quo ſcitè admodum Ariſtoles. „ pueri incremento abundant ſuperioris partis, vt „ hac de cauſſa ad eam humor confluat, qui plurimo abundans calore eſt in cauſſa, vt pueri tribus ſint malis obnoxij, lumbricis, puſtulis putredini, vnde validis aliquando opus eſt, vt liguſtri ſucco, ſtercore canino inſperſo, ſamia, ſolani radice; hæc enim refrigerat & exſiccat. 8. ſimpl. ſicuti etiam ſamia 9. ſimpl. De cura bothor ideſt puſtularum in ore multa Auicennas: quæ diſtinctio illa Galenica moderetur de vlceribus tradita. 5. de compoſ. med. per genera „ cap. 18. quando mordax eſt, quod influit, & in ore percipitur, mi„ tioribus, quando dulce, validioribus vtendum eſt, hoc eſt, quæ „ magis deſiccent: fortibus tamen illis, in ore puerili præſertim, vi„ tatis, de quibus Galenus, ſquamma æris, ſcisſile alumen, calx curant maligna vlcera. omnino refrigerent exſiccent, adſtringant. adſtringentia veteribus præſertim corroſionibus conferunt. 6. ſimpl. cap. de lappa maiore: veruntamen vbi cum vlcere adeſt putredo effatu digna, calidis vti ex arte eſt, ſicuti ariſtolochia, de qua Galenus. ad putredines ariſtolochia: cui addi poſſunt roſæ, ſandali, vel acacia, hipociſtis cum ſucco ribes, vel ſolatri, & plantaginis, horum ve aqua: præſertim ſi cruor nimius profluat. mediocriter enim fundi, præſertim ex labijs bonum: è contra malum. ideo tunc illitio oris facienda eſt ex decocto reginæ, lyſimachiæ, portulacæ, & ſi opus ſit, in illis infunde trociſcos de berberis, deterra ſigillata,

De variolis in ore.

8. De gen. anim.

Gale. 4. cattageni cap. 5.

Gale. 6. ſimpl. ca. de ariſtol.

ſigillata, de carabe; ſed ad puſtulas redeo: ſi intus ſicceſcunt, ſerum, iuſcula pullarum pro vſu ſunt: vt enim ſucci maligni ſua quiſq; in ſpecie concreti ſunt vehementer, ſicuti de vitellina bile docuit Galenus. 2. de nat. fac. cap. vltimo & de atra. 14. methodi. 10. ita etiam ſe habent cruſtæ, quas aliquando neceſſe eſt lenire, euellere multo oleo oliuarum vel exhibito vel iniecto, cui & nitrum, vel aphronitrum immiſceri poteſt: quod & aluos, vt à Galeno & tralliano accepimus, commouet: idem etiam præſtabit cremor & aqua ordei, in quibus prædicta infuderis, fermentatio quippe mala ſanguinis exſiccatione, deterſione, ablutione, igne, expurgatione corrigitur.

De curandis variolis exterioribus.



CVRANDARVM variolarum, quatenus tales, non habita ratione febris, ſed vt in extima cute inhærent, & vulgata, & iam aliqua exparte dicta eſt ratio & à Paulo Aegineta his verbis deſcripta. quibus dictorũ hactenus compendium continetur. Quæcunq; circa
„ ſummam cutem floreſcunt, principiò quidem æqui boniq; facien-
„ da ſunt. ſed vbi defloruerint bene, tum lauacris, adiecto mirto,
„ lentiſco, roſisq; medendum, deinde roſaceo aut oleo lentiſcino, ce-
„ rotoq; cum ceruſſa vti. clementerq; atq; omnino molliter nitris ab-
„ ſtergere competit: vehementiora namq; ſubſidia tolerare nequie-
„ rit. Si nõ maturuerint, folia, vbi habetur, bombicis ponatur ſuper variolas, item maluarum. vbi ad maturitatem peruenerint, ſcalpello acuue argenteo tactæ expurgantur: dein eas conſpergo hoc puluere.

℞. Farinæ ordei. } an. ℥. iij.
Lentium. }

Fiat pluis tenuiſsimus. Sed aliquando tanta eſt fœditas, vt pueris contegenda ſint crura & brachia, ordeo, vel tritico, exemplo Sixti Pomponij de quo Plinius lib. 22. cap. 25. ſi malignior multò ſit fœditas, & manantior, accipe.

Roſarum rubearum. ℥. iij.
Rad. ariſtolochiæ. }
Tutiæ præpara. }
Terræ ſigillatæ. } an. ℥. 15.
Boli armeni ori. }

Hiſquè minutiſsimè contuſis reſperge loculos.

Quos

Quos & abluere poteris aqua eiusdem ordei, lentium, rosarum, balaustiarum, alijsq; decoctis resiccantibus expiantibusq; putredinem malignarum variolarum; de quibus illud dici potest, quod de tumoribus calidis generatim legimus. malignum apostema non euacuatur à resudatione virus mali, præsertim, si vt ipse aliàs de althaũ docuit, malignum sit. hincq; fit, vt deintegro febriculæ accendantur. Huc faciunt etiam folia brassicarum, & liliorum alborum, & enulæ melle tacta, & superposita.

Auic. ca. de cura apostem. calidi.

De curandis variolis carbunculosis.



SI variola sit anthracina, vel vt græci dicerent, anthraxodes, curatio euariat: sunt autem hæ, quæ non solùm nigrore, sed duritate quadam tactum non effugiente ad anthracis naturam vergunt, eandem penè curationem quærentes: vt scilicet factis vniuersalibus, scalpello, si ætas & virtus fert, incidatur locus: deinde cataplasma ex lentibus & pane, qui in clibano coctus sit, superponatur: cum enim lens contrarijs vigeat facultatibus, partim repellit, partim digerit crassam hanc sobolem, quam omnino repellere, optimùm esset tumenti loco, sed pessimum intimis focis, qui expurgantur abscessu isto: nam ita sensit Galenus in curando anthrace. 14. method. cap. 10. & idipsum doceret etiam de cancro, si is vel accendere, vel sequi febrem soleret: vr solet anthrax: is enim cum ex feruescente sanguine concrescat, necessariò febrem vel sequitur, vbi per eam partem sanguis exuritur. 2. de præsagijs ex pulsu cap. 1. vel accendit. 1. de diff. feb. cap. 2. & 14. methodi. 10. cancer autem ex atro & crasso & minimè feruido genitus, cor non inflammat, nisi cum mammas pectusq; tenens, tandemq; exulceratus flammescit. tum illi, sicuti etiam carbunculosis pustulis & abscessibus, digerentia cum repellentibus admouentur, quæquè simul circumfusam inflammationem compescant; id quod accidit etiam in variolis anthracinis. Quamobrem præter cataplasma Galeni ex lentibus coctis ex plantagine pariter cocta, & cum panis in clibano cocti mica, ipse his vterer. ℞. Rosarum rubearum.

Maluarum.

Scabiosæ. an. m. ij.

Bulliant, contundantur, & adde.

Farinæ

Farinæ lentium.
Hordei. an. q. 5.
Cum oleo rusato & sambucino fiat emplastrum.
Aliud ℞. Foliarum solani.
Vrticæ. an. m. ij.
Bulliant in sero lactis: deinde contusis adde.
Farinæ milij.
Pul. rosarum an. q. 5.
Cum mulsa fiat medicamentum.
Aliud ℞. Milij. Lentium. Hordei. } excorticatorum. an. p. ij.

Bulliant ad completam coctionem: inde contusa ad cataplasmatis modum, misceto cum aqua maluæ: lac etiam calibeatum probari debet, præsertim cum mulsa & sapa: super vlcus autem, non quæ carbunculis conueniunt, ponantur, sed mitiora, quales sunt puluisculi iam propositi, quibus addi potest aliquid plumbi vsti, vt siccent magis: & si quæ inflãmatiuncula circumiacet, accedant siccantibus semina frigida, vt plantaginis solani, & similiũ. interim abluatur locus aqua hordei & lactis: vel in maiori sorditie, mulsa & rosarũ succo. Demũ & cicatrix per vulgata medicamenta obduci debet.

De syptomatibus febrium, in quibus variolæ efflorescunt.



HACTENVS de variolis: nunc de earum symptomatibus agendum est, quæ negocium facescunt ægro: non scilicet mala, vt signum duntaxat, sicuti vrinæ vocatum sedimentum crassum, & cruditas excretionũ, rubor oculorum, colores fædi, & quæ vel intempestiuè, vel tardè in morbis visuntur, sed causæ & signi etiam nomine formidanda: neq; enim potest quicquã extimesci, vt causa, & laborem ferens, quin sit etiam malæ causæ & affectionis indicium, vt dolores, præsertim sæui & conuellentes, irrequies, actiones vehementer deprauatæ, ac lesæ, vt deliratio, dormitionesq; difficiles, vigiliæ, inappetentia, excrementa laboriosa alui, vesicæ, vteri pectoris, oculorum, capitis, totius, sicut sudores. Hasce igitur molestias lenire, operæ precium est semper quidem, sed in ea præser-

tim ætate, quæ tenella eſt, & momento exoluitur. Harum autem origo, materies nempe & cauſa, trina eſt genere, humores, humorum reſpiratio acrior & mala, ad quam flatus ipſi etiam referantur, qui in benignis febribus benigni, in malignis maligni exurgunt. demum lumbrici & ipſi propria quædam incommoda afferentes.

De pruritu.



NTER hæc autem pruritus, quaſi anteſignanus, inuadit prior, variolarum, ſordiſsimi puſtularnm generis, ſed non adeo latarum comes, cuius ſymptomatis cauſa duplex à Gale. affertur in eius aphor. explicatione. latæ puſtulæ non admodum pruriginoſæ.6. aph. 9. iactant ſe, vel in incunabulis, & faſcijs, infantes: in lectulis pueri volutãtur, quæritantes alliſum, nitentes vnguibus, vt in perfricatione ſolatiũ inueniant, excoricatione moleſtia excutiatur, quæ ex acri vapore & moto ſurgens non altius carnes, ſic enim mordentem penitus, non mordere geſtientem dolorem ferret, ſed cutem & eius ſumma ſolicitat: inſtar nimirum inæqualis intemperiei: vt enim hæc ea tandem eſt, quæ dolorem excitat, non penitùs æqualis & impreſſa, ſic materia pruritum faciens non corporata eſt, ſed ab humore ſurgit nec eo quolibet, ſed qui, vt Galenus eſt author, non adeo mordax eſt, vt pruriginoſus in vlceroſum dolorem tranſeat: huiuſmodi autẽ non craſſior eſt, ſed tenuior. craſſiora, enim paribus ſemper cæteris, ſunt acriora tenuibus, & idcirco magis etiã lædunt; at maior læſio eſt vlceroſus dolor pruritu: igitur acria craſſæ ſubſtantiæ dolorem, qui expungit, tenuiora, qui expungere titillat, excitant, hoc eſt, qui nõ planè dolor eſt, vt pungens dolor, ſed quadã cum titillatione expunctio; acerrima autem ſunt quæ exulcerant: craſſa quidem, ſi cum dolorem & pruritum excitantibus conferantur; tenuia verò, ſi cum humoribus, qui toto genere craſſi ſunt, vt pituita. fæx ſanguinis; vnde Gale. tenuium eſt humorũ exulcerare: ſicuti magis tenuiũ pruritum, vel certè pungentem moleſtiam in ſenſu excitare. ab huiuſmodi igitur ſucco vapor acer moleſtusq; quaſi internuncius quidam ad cutem ſurgens pruritũ excitat. de quo Gale. "Humor tenuis, "ſalſus, immotusq; eſt in his, qui pruriunt. Sed pruriginis acceſsio ſurgere per interualla monſtrat fumum, qui tãgat, angatq; pellẽ: quod idẽ Gal. 1. de fracturis co. 41. palã expoſuit, de fracturis pruritu tẽtatis ſcribens. Huius moleſtiæ lenimenta, dũ puſtulis vel educẽdis vel

Vide 2. de lo. aff. 3. 2. de cau. ſym. 6.

Gal. 2. de de cauſis ſymp. 6.

imminuen-

immiunendis studuimus, aliqua sunt proposita; est enim malum ex quo, vt vlcera Gal. autho. 4. methodi. 4. sic variolæ efferantur. in hac opera scopus proponitur vnus mitigandi sensus huius molesti, alter autē excoriationis, quæ per vngues fit, prohibendæ: igitur vnguibus & manibus obstacula ponenda sunt, quæ sint veluti cutis repagula, vt chirotecæ ex serico purpureo, vngularum sectiones deinde molestia, vt licet, sedanda est; ad eum ferè modum, quo & dolor, cuius species, vt medici veteres docuerunt, pruritus est. at doloris, vt 12. meth. ca. 1. legitur, curatio est tripartita: caussam videlicet respiciēs, sensum leniens, sensum obtundens, ergo & eadem cura doloris huiusce erit, excepta stupefaciente, vti etiam valdè frigida iam pridē ab intimis medicamētis exclusa est. Quod verò spectat ad caussam, si non est euacuata, euacuetur. euacuātia iam sunt descripta, in natu grandioribus si non est secta vena principiò, secetur, pustulis vltra non appetentibus: Auice. sectionem venæ prohibet tantummodò, & quando erumpunt, & per duos dies, postquā eruperint. Quin & cum efflorescunt, admittitur ob eodē, quādo copia turget, vrgetq; sanguinis multò igitur magis ad pruritū insignē tollendū licebit, si per viriū robur licet, venā secare, de qua eo consilio scriptū reor ab eodē authore. & conuenientius, quod in hac administratur ægritudine, est phlebotomia: vt isthæc euacuatio non solùm febris, sed etiā sympto matum medela constituatur, quorum pleraq; à copia, non pauca à mala eiusdem qualitate calida oriuntur, quæ vitia reprimit venæ sectio vt euacuandi & reuellendi & refrigerandi facultatem habet: si venā vel nullo modo, vel non deintegro aperire licet, cucurbitulæ cū scalpello admoueantur, saltē illæ paruæ, idq; magis cū calida, quàm cū igne: molles itē fricationes ex vsu sunt, præsertim per nutricis manum. Medicamēta deinde partim anodyna, modicè resoluentia optantur, partim verò tenuem illū & acrem halitū temperantia, & incrassantia, ad eū sane modū, quo & dentium stupor tentigoq; portulaca & caseo satiata cessat: omnino mediocriter calida cum aliqua humefactione & refrigerio; vt per hoc acrimonia, per humectationem verò tenuitas reprimatur: hoc studio Auice. pruritū auriū curat absinthio & oleo. in hoc eodē Gale. si rectè memini, aphronitrum laudat: ad idē laudatur crocus à Plinio li. 21. c. 20. quin, & si faciē pruritus vexet, à calidis medici nō abhorrent, vt Gal. 5. de compos. med. per locos cap. 7. ergo aliquod ex his accipere oportet, sed cū his, quæ leuiter refrigerāt, humectantq; permiscere. lintea etiā fasciæ cōsternātur folijs tassi verbasci, meliloti, sambuci, lupinorū, erui, & malua-

Gal. lo. cit.

Auic. lib. 1. fen. 2. doc. 2. ca. 20.

rũ, vel erui & lupinorũ decocto corpusculũ foueatur: lenimentũ etiã potest componi, quod etiam iam saniescentes variolas iuuet: tunc enim pruritus admodũ vexat, cũ & vapor accensus exsurgat maior.

℞. Mucillaginis. s. maluarum. ℥. vj.
Croci. ℥. s.
Aphronitri.
vel tutiæ pp. ℥. 15.

Cum rosato fiat lenimentum pro toto corpore, excepto vultu, nisi grandis eam partem conuellat dolor. Alabastrinum etiam cum rosato Mesuæ non est inutile. Item vnguentum ex matrisylua cum infrigidante Galeni accomndatum est: vel vnguentum digestiuum, cum modico eius, quod ex plumbo fit, si aliqua cutem exasperet vlceratio: tunc etiam vnguentum album ex cerussa aptè admouebitur cum rosaceo, aut eo, quod elicitur ex ouorum luteis: tunc folia præstò adsint & plantaginis & symphiti & herbæ. s. Alberti & reginæ & cucurbitæ, & solani, & lappæ maioris, quæ tepente plantaginis aqua flaccescant: si pruritus gingiuas tenet, tunc vt docet Paulus, non fomentationibus modò, sed abundanti quoq; vnctione ex oleo crudo non sine modico ceræ liquefacto vtendum est. *Paul. lib. 1. cap. 8.*

De dolore ventris ac dorsi.



Dolor ventris & dorsi principiò inuadens indicat biliosum & ichorosum sanguinem, ex quo variolæ paulò post concrescunt, iam præcopia & acri satis qualitate turgidum esse, eundemquè, cum ob crassitiem nec per vrinas nec per aluum exire queat, errare per venas & hipocondria. tripatita nempe est caussa, præcipua, cur venter doleat, præsertim in pueris, lumbrici, flatus crudiores, bilis ipsa: cuius caussæ typum designans Hippocrates scribit „ dolores autem qui sic errant à bile fiunt: sunt autem, quos paulò antedixit, aliàs ad vnum & alium ventris locum transire, non infra vmbilicum consistere, vt flatuosi. sunt hi tensiui: a bile orti expungunt. à vermibus vlcerosi, quos & notæ lumbricorum detegunt, oris fætor quidam, vmbilici cruciatus, pruritus nasi, & interdum vt in 2. in 6. co. 17. ait Galenus, tussicula: bilem igitur hic lacescere intestinas partes, nullus dubitet, his enim in febribus tendi exflatu quandoquè ventrem, hoc etiam in confesso est, cum bilis pituitæ permixta sit, quæ conuenientia *Hip. li. de affectionibus.*

maxi-

maximè cum putrescit plurimum, vt pestiferæ ostendunt febres, flatum respirat: lumbrici autem quamquàm citius & ipsi, quàm morbo tendente ad iudicationem, sæuientes exeant, vt solent in malignis febribus, non tamen euestigio sæuiunt in variolis, sicut in pestilentia: ergo istis inpræsentiarum post habitis in dolore hoc ventris sedando sint indicationes, lenire per anodyna, caussam extenuare, temperare, meatus aperire, crudum spiritum dissipare, euacuare & hipocondria & ventrem proximum & iecur ipsum, vnde, vt principio decretum est, emanat bilis. si per os erumpere gestiat, vomitus adiuuandus est acetoso vel oximelitide cum ordei & maluarum decocto, & illo tepido: sin per aluum, eà etiam extrahendus est humor; cenematum materies iam dicta: hic addo, mitiora sat esse, vbi bilis ipsamet sponte ad exitum stimulatur, ne currenti calcar addamus. si autem materia neutram partem pulset, adhuc vel sursum vel deorsum trahi debet, sursum in exacerbatio-
" nibus, vt Hippocrates docuit. 5. de morb. vulg. tunc enim sua spon-
" te eleuantur, cum anxij & capite grauati fuerint, ac se iactarint. deorsum per medicamenta: sed mitiora: vt semper natura ægri indicatio capiatur: vtor ipse hoc medicamento pro grandioribus.

℞. Olei amig. dul. recens & leuiter expressi. vnc. iij. vel iiij.
Oximelitidis simpl. vnc. j.
Cum decocto & cicorij & maluarum. F. p.

Addito interdum in robustis sir. rosato solutiuo ad vnc. 15. exterius calida iussu Hippocratis vtendum est: hæc enim non modò dolores lenit. 5. aphor. 22. sed aluum laxando ciet, tam & si eundem fluentem, dissipato humore, sistat: & potest augeri facultas aquæ in cocto sambuco, maluis, parietaria, meliloto. potest insuper foueri venter oleis. vt sambucino, fructus sambuci ad mulierum dolores ab Hippocrate commendatur lib. de morb. vulg. ex cheirino, ex meliloto, amigdalino vel dulci, vel si lumbrici lanient, amaro, non sine rutacei portione, rosato temperatis vulgata sileo, vt fotum ex reticula verbecis imbuta prædictis oleis. Hæc dolenti etiam dorso accomodari queunt: nam descendens & mota bilis ipsi etiam, vt scribit Galenus, dorso molesta est.

DE VOMITV NIMIO Et inappetentia.



NIMIVM in huiusmodi tempestate vomitum facit bilis & copia & acrimonia pariter ventriculi laxatio ab austrino flatu: demum retentionis labes ab intestino foco. nimius autem est, qui non modò humores prauos, quos natura vtiliter expellit, euomens, vt capiti iecori cordi prospiciat, sed & cibos reijcit, vt nec eosdem appetant, quin auersentur, vnde præ inedia bilis prauitas inualescit: igitur succurendum est, quamprimùm cogit necessitas, huic symptomati, oleo ex citonijs rosaceo & absintite cum portiuncula aceti & aloes. vel ad lenimenti formam redactis cera, vel fomenti modo: hoc validius erit emplastrum ex crustapanis, sed longè aptius emplastrum diaphinicon, vel Galeni, vel, quod est efficatius, Alexandri: neq; enim est verenda adstrictio, celebratis præsertim vniversalibus, cum in regione ventriculi pustulæ non erumpant, vnde & succum citoniorum pipissare grandiusculi possunt, infantes exsugere ex mamma nutricis, quæ eo sit alioue succo eiusdem facultatis, vt granatorum, ribes, sorborum, & q́d genus, illita.

De dolore capitis.



PVERI raró dolent capite, saltem grauiter, nisi biliosi sint, & acri sensu præditi, alioquin (ratione ætatis) hæbetiore sunt sensu, & naturà pituitosi, quæ temperies sic remittere & sensum, vt de auditu ac oculo legitur. 1. de morbis, & dolores solet, sicuti bilis intendere: cum etiam immaturo sint corpore, potissimùm, vbi magis abundat humor, sicut in cerebro, promptè pro humidi genio laxantur, ità cedentes molestis caussis, vt altè potius lædantur & conuellantur, quàm doleant: & si grandis sit dolor, tunicis, vt Auicennas docuit, disrumpantur. ergo eiusdem authoris
lib.3.fen. „ consilium obseruandum. festina ad euacuandum, & stringendum
1.tr.2.ca. „ extremitates, & fricandum eas & ponendum in aqua calida: repel-
11. „ lere non ita est tutum: quia in soda, in qua adest rheumatismus
idest

„ ideſt pituitæ deſtillatio, non oportet declinare ad infrigidandum
„ & humefactandum. plena quippe ſunt puerorum capita humore
crudo & acri, cum variolis laborant. ergo ne is introrſum pulſus
vel cerebrum laceſcat magis, vel in gulam aut in pectus deſcen-
dat, vinciri caput poteſt, at repellentibus non perfundi, niſi di-
gerentibus mixta ſint: ab oleo item eodem iubente, cauendum
eſt: decocta magis pro vſu ſunt, vt camomillæ, roſarum, ſalicis:
ſacculi item ex milio ſale: ſed cum erumpunt variolæ, capiti nil
admouendum eſt: Acetum hic eſt peroptimum, præſertim cum
adhuc fæditas non erumpit, nam repellit & digerit. proinde & cibo
eſſe poteſt, & præcipuè, cum non adhuc effloreſcit pellis, roſatum:
hoc enim & ab ore ventriculi, & à cerebro bilem quæ in capite eſt
repellit, ſimul extenuans, ne epilepſiam & conuulſionem excitet:
„ ſed quod remedium præſtat omnibus, illud eſt. caput dolenti & *Hipp. 6.*
„ circum dolenti ſi pus, vel aqua, vel ſanguis per nares aut per os, *aph. 10.*
„ aut aures fluxerit, morbum ſoluit: at hic pus expectari nequit, cum
„ materia propriè non ſuppuretur, vt in abſceſſibus. aqua manare
quidem per morbum adhuc crudum poteſt, at non dolorem ſol-
uere, cum humor peccans ſit bilioſus quidem, at concretior, &
corporatior, quàm aqua: ergo reliquum eſt, vt ſanguis effluat,
hoc enim & aqua & pus & quæcunquè inter hæc duo interiacent,
bilis dico pituitaquè, continetur: effluere autem potiſsimùm per
nares debet: qui locus iudicandis acutis febribus magis accomo-
dari videtur, quàm os & aures, quod & Hippocrati videtur pro-
batum, priore loco referenti nares, ſecundò os vltimo aures, vt
pote minus aptas huic iudicationi, quæ vel principio bona eſt,
cum humor non nihil, vt dictum eſt, turgeat: per ventrem erret,
pruritum ferat, primaria membra, vt caput, petat: ergo ſi nihil
fluat, ciendus, ſi minutulus & ſtillatim, addiuuandus, tepidæ &
calidæ fotu, & ſi opus eſt. pulegio auctæ, capillo veneris, cro-
co, aloe alijſve, quæ aperiunt venarum ora: iſthæc euacuatio &
dolorem lenierit, & tetram illam faciei tumefactionem præuene-
rit, cauſſam & morbum reprimens. quod generatim indicat Hip-
pocrates dicens morbum ſoluit: quaſi dicat, curatio morbi per
cauſſæ repreſsionem ea eſt tandem, quæ dolores & lenit, & curat:
ſed de aceti vſu dubito, ſit ne ex vſu, vel ne: cerebro enim ner-
uoſiſquè partibus, vt ventriculo, infeſtus eſt: fluxiones etiam ir-
ritat, præſertim bilioſiores: nihilominus pituitam, bilem, icho-
res craſſos extenuat, eorumquè vapores diſcutit, quod ſubſi-

dio est magno ad tutelam capitis: ne præsertim, vt benè Auicennas, ex consensione ventriculi doleat infestati à bilioso humore: hunc enim repellit aceti vis: inimicum est frigidis partibus, vti etiam frigido sexui fœminino, attamen potest corrigi mastiche, vel squinanto infuso, vel permixtis rosaceis, vt cum iulep. præterea si, vt frigidum, capiti obest, atquè ventriculo, vt extenuans, reprimit crassitudinem pituitæ, & caussam officientem, sicquè ex inimico amicus fit, quia ex septem modis, quibus medicamenta partibus amica sunt extat is: reprimere humorem, qui illis nocet.

De dolore ruboreq́; oculorum.



CVM duo sint tempora succurrendi oculis: principium vel augmentum: & inclinatio: de primo dicamus: & est occasio medelæ dolor & rubor aqua caussa rubor, ab eadem & dolor, non eadem tamen penitùs excitatur; ruborem etenim insignis vt à Galeno *Gal. 3. de fract. 8.* scriptum est, calor obducit, ab eodem etiam dolor fit, sicuti & interdum à frigore (hæc enim qualitas post calorem eidem Galeno habetur effecacissima) & illo intenso, à quo, vt scribit lib. de Sen. & *Hipp. 3. aphor.* » sensili Philosophus, oculorum natura aliena est; & Hippo. quotidi. *Vide Paulū lib. 3. cap. 22.* constitutiones aquiloniæ oculos mordent. Sed dolorem infert calor, vt acer, & cum acri conspirans sanguine, biliosoquè, ruborem autem, quatenus tenui sanguine oculorum tunicas perfundit: quæ non ophtalmia, sed turbatio, & Græcè taraxis dicitur. proinde sicut ilthæc sæpè veram & concretam oculi inflammationem prænunciat, sic æstus oculi dolorem, turbationis proprium magis, quàm veræ ophtalmiæ nisi maligna sit: in taraxi enim: tanquàm ea, quæ ad inflammationem est via, sanguis ille biliosus infigitur per phlegmonē autem morbum iam factū inhæsit penitus, quo fit, vt non angat, nisi materies adeo & multa & mordax sit, vt non modò sæpius confluat, recrudescens vna parte, postquàm altera maturuerit, sicut à Galeno in abscessibus fieri, relatum est, sed etiam vlterius penetrare tunicas, mordere oculum, non desinat: tunc enim adest inæqualis intemperies doloris caussa, quam in oculorum doloribus Galenus, si rectè illius verba considero. 5. in 6. co. 5. accusat » scribens, ex vini vsu augeri aliquando & dolorem & inæqualem

oculi

„ oculi intemperiem. impediunda igitur est veræ ophtalmiæ concre-
„ tio, rubore, dolore, & causa infirmata: at hanc euacuatio, dolorem lenientia, ruborem dissipantia reprimunt, ergo doloris nomine cætera, vt solet malâ intelligens ita hanc curationem instituit.
„ Dolores oculorum meri potio, aut balneum aut fomentum, aut ve- 6. aph.
„ næ sectio, aut medicamentum potum soluit. Quo scito docemur 31.
multa. Primùm disiunctiua, (aut) mollissimum membrum indicare docet, vt ne pluribus, nisi cogat necessitas, remedijs vexetur. Secundò mitioribus esse opus: aliàs de doloribus curandis generatim loquens fortiora etiam proponit.6.epid.sect.5.tex.5.hoc autem esse Hippocratis consilium, agnosce: quia cum triplex sit ratio sedandorum dolorum, quæ in sensus retusione posita est, inuoluit silentio: & Galenus in eiusdem aphorismi explicatione stupefacientia isthæc improbat, quòd debilia dolorem non enecent, fortiora aciem visus retundant: vnde & posteriores medici pro culorum doloribus frenandis sief componunt sine opio. Tertiò à mitioribus eandem ob indicationem à parte sumptam oportere incipere, & progredi sensim adfortiora: & si enim pars est delicata oculus, acri tamen viget, & sensu, & dolore tunicarum; adeo vt aliqui dolore euecti oculorum aliquando sibi mortem consciuerint. 4. de compos. med. per loca. à mitioribus autem inchoandum edocet, vino, balneo & sic. Quartò docet anodynis vnis vtendum esse, nisi affectionis magnitudo ea sit, quæ non nisi euacuationibus superetur, vt cum adest copia, & cachochymia in toto, alioquin euacuantia tenerrimam oculi substantiam exoluunt præsertim acria: acria enim oculis importuna, vt acrumina, aromata, puluis, odores acres ex 4. catageni cap. 1. nec minus officinnt oculis, quæ obscurè ducunt, quàm quæ palam; vnde Aristoteles aliquando causam attulit, cur nimiæ exercitationes oculis infestæ sint, palam verò euacuant, fumus, fricatio, quorum vtrunquè & lachrimas excutit, & lædit oculum. Quintò pharmaca, quibus corpora expurgantur, vt insuauissima & acerrima, in vltimas oculi medelas reiecit, venæ sectionem purgationi præferens, præsertim quando dolor & inflammatio non ex cerebri membrana oritur, vnde coniunctiua descendit, sed ex venis, vt verè solent, Galeno teste, fieri inflammationes: & ne quis hæc, vt nimium, sub- Gal.lib.
tilia, repræhendat, adire est, & audire aphorismum. 67. libri sep- de inæq.
„ timi, qui habet dolores oculorum, post meri potionem, & aquæ intemp.
„ calidæ balneum, venæ sectione curato. & si enim Galenus reprehendit

hendit eam legem: non tamen accusat dicto nomine, sed quòd in vno & eodem dolore tria hæc remedia probet, quæ simul vsui esse nequeunt, cum Hippocra. generatim de dolore disiunctiuam illam (aut) prutulerit. Sextò ex anodynis præfert balneum fomento: nam etsi hoc, vt Galenus docet, tutissimum, attamen molestius, illud suauius: hoc partem, illud totum lenit. Septimò ex medicamentis, si formam respicis, potionem effert, vt pote quæ pharmaci acrimoniam humore dilutam temperat: si vires, sint ea, quæ deorsum humores trahunt, vt simul euacuationi, & reuulsioni consultum sit. Et si enim in doloribus proximum ventrem oportet, purgare, vt in oculi dolore caput, attamen cum affectiones oculorum totius corporis affectionem & significent Hippocrati, & sequantur, quis dubitet, comunem hanc expurgationem non esse cum opus est, ante omnia celebrandam? lippientem alui profluuio corripi bonum. 6. aph. 17. quo suppresso tumor lachrimosus in oculis oritur. libro de coacis prænotionibus. quam doctrinam Galenus, vt solet, recipit. nec verò solùm oculi sed lingua conualescit, bene fusa aluo. 6. aph. 35. idem etiam auribus euenit: quibus biliosæ dictiones, eæ, superueniente surditate, cessant, vti etiam surditas per easdem abit. 4. autem aphor. 60. & cerebri & alui purgationem coniungens, tanquam eam, quæ & surditati & mutitati & molestijs oculorum finem imponit, ait. „ quibus in febribus aures „ obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens & aluus turbat mor„ bum soluit: hunc in modum ostendens, veram curationem symptomatis sitam esse in represione morbi & causæ, quod etiam generatim in dolore capitis sanando tradit. 6. aph. 10. à symptomate ad caussam, à caussa ad morbum tendens, symptoma est dolor. caussa, est dispositio & materia, quæ balneo, fomento, & venæ. sectione & purgatione indiget: sed & ex his, quæ caput & oculos curant, præstantissimum in acutis morbis esse docet naturæ & artis conatum per ipsas nares: id quod docuit etiam relato aphorismo. 10. sexti libri: vbi de sanguinis imminutione & exitu loquens incipit vt dixi, ab eo, qui per nares fluit: hæc est vera crisis ardentium & synocharum: hæc igitur erit etiam vera male affectorum per variolosam febrem oculorum curatio. Sed iam curationem cominus aggrediamur. hæc victu, chirurgica ope, medicamentis continetur itaquè diætam vino, manus operam venæ sectione, medi-

Gal. 13. meth. 22.

camen-

camenta purgatione explicat: In victu instituendo à lenticula, vti cibo à fructibus pomorum dulcibus, oleribus Hippocratis consilio abstinendum est, visum enim, vt à Galeno scriptum est, hæbetant, cum succi admodum crassi sint, vt medicamentum tamen, lens admitti potest: quia cum sit nitrosæ substantiæ, cuius vi etiam soluit aluum, vt medicamentum, ratione illius nitrositatis extenuat, non alit, sicuti vt alimentum, non calet, quia dum conuertitur, nitrositatem illam amitit, cuius vi calefacit, vnde Hippocra. cibum frigidum, Galenus lib. de salubrit diæta co. 2. calidum esse, dicit: victu instituto, mox quæ oculos roborant, caussam doloris & ruboris discutiunt, exquirere, oportet. ac roborat quidem vinum sed in dolore proposito caueatur, quia eius causa existitit vrens: sic Galenus eius vsum quandoquè noxium inuenisse, testatur. 5. in 6. co. 5. nec mirum à Galeno hunc aphorismum non ita generatim recipi, cum & aliàs alios limitet, vt illum, vrinæ difficultatem meri potio soluit: neque enim omnem meiendi laborem vult sanari vino, sed eum duntaxat, qui à frigida causa obortus sit, vel à causa calida, sine inflammatione, vel ab hac quidem, at sine plethora & copia sanguinis in toto corpore: pari ergo ratione & vinnm dolores eos qui à frigida caussa inferuntur, leuat, sanat, qui à caussa calida in oculis infixa absque corporis affectione plethorica. 6. aphor. co. 3. & 7. aphor. co. 48. iam nec balneum perpetuò admittendum; sed quando totum vel squallet, rigetue sine prauitate, aut certè admodum pauca: & quæ halitu magis, quàm mole expungat, vel missionis sanguinis purgationeue extenuatum est. Venæ item sectio non est vsui, nisi totum, vel caput sanguine scateat; sicuti nec purgatio, nisi humorum abundet malitia: quandoquè autem vtroquè remedio est opus, quando scilicet & cacochymia subest, & cum ea tantum excedit sanguinis, quantum sat est, vt nec imminutio sanguinis in crudorum ebullitionem fit via: sectio venæ vel ad rubores faciei proponitur: vti etiam ventrem laxantibus expurgare: Auicennas lib. quarto fin. 7. co. 2. cap. 8. quò magis vtrumquè est necessarium, cum non modò rubet facies, sed oculi inflammantur, totum exuritur? hæc autem de missione sanguinis intelligo, quæ euacuandi, non reuellendi, non refrigerandi consilio suscepta sit, quæ teste magno Hippocrate, ex flatu etiam obortos dolores curat, alioquin erra-

remus

Hipp. 7. epid.

Hipp. 2.

epidem. sect. 1. remus, cum ardentissimis febribus, maximis doloribus, & inflammationibus venæ sectionem medelam esse, aliquando à Galeno indefinitè prolatum sit. secatur autem basilica: secatur aliquando, vt Galenus docuit, humeralis: in primo quidem statim appulsu noxæ in opposito brachio: cum iam appulit, in eodem, & hoc est, *Gal. li. de rat. cur. per sang. miss.* quod Galenus dixit, in inflammatione & dolore oculorum secanda est humeralis eiusdem brachij. Et tempus est, quamprimùm vrget dolor, non expectata, vt idem consuluit, accessione febris, quod etiam de purgatione dicendum est: vt enim in epiplesia & conuulsionibus, sic in magnis oculorum doloribus non est protrahenda purgatio: vt hic quintus sit casus, in quo medicus non debeat maturationem expectare pro pharmaco exhibendo: tametsi in pueris debet esse mitius: tantò autem magis hoc licet, vbi humor est acer simul & tenuis: non crassus & lentus; nam huiusmodi succus & promptè ducitur, & dum hæret diutius, facilè admodum, (quæ sua est tenuitas & acritudo, addo & copia) facilè, dico potest agnatam tunicam corrodere, oculum conuellere: fit autem si adultus sit, purgatio huiusmodi.

℞. Mirobal. chebularum.
Citrinorum. } an. ℥. 15.
Polipodij. ℥. iij.
Tamarindorum.
Prunorum. } an. ℥. 5.
Liquiritiæ.

Ebulliant in aqua lactis, vel in aqua cucurbitæ & anguriæ, peponumue, nam & huiusmodi refrigerantes succi à Galeno oculis dolentibus admouentur.

℞. Dicti decoct. q. 5.
Agarici trocisc. ʒ. 5.
Croci. g. v.
Syrupi ros. sol. vnc. 15.
Mannæ. ℥. iij.

Fiat potio, vel in bolo.

℞. Floris casiæ recens ex à setacino.
Pulpæ tamarindorum. an. vnc. 5.
Ell. rosati mes.
Conf. Hamech. } an. ℥. 1. 5. vel ℥. j.
Croci. ʒ. 5.

Cum Zuccaro. Fiant Boli.

Pro pue-

Pro puerulis septennibus hoc medicamentum suffecerit.

℞. Floris cassiæ recens extractæ. ℥. v.
Ell. ros. Mes. ℥. j.
Agar. trocisc. ℈. j.
Vel tro. ex violis sine scam. ℈ I.
S. Feniculi. } an. ℈. 5.
Citri.
Cum Zuc. Fiant Boli.

Quò plus ab hac ætate vel surgunt, vel absunt, eo minor medicamentorum copia ad proportionem est necessaria.

De localibus.



EX his autem, quæ laboranti oculo succurrunt, aliqua sunt apud veteres, quæ repellunt duntaxat, vt succus vuæ immaturæ cum spodio; frontis illitio ex papauere, semperuiuo, plantagine, solano, rosato 12. methodi: sed hæc repellentia iam à capitis dolore inuariolis reiecta: sunt alia, quæ & anodyna sunt, hoc est leuiter digerunt, & simul etiam repellunt humorem, qui confluit, vt mali punici, quod dulce sit, succus coctus in vase æneo: æs enim repellit, exsiccat, vti etiam omnia, quæ dicuntur metallica, tametsi non omnia oculo amica sint, sed mitiora, vt ferrum Galeno authore, item argentum, aurum. plumbum cogit, & densat nimis, nisi retusum: idem præstat ponticitas, & acerbitas: sed dulcor, cum à calore moderato fiat, nonnihil lenit, & digerit: neoterici vtuntur aqua rosata, in qua semen sumach ebullierit, vel infundatur. nam & repellentem habet facultatem, & præterea dolores, qui ab acri humore excitantur, compescit, mitigato humore, quemadmodum & sæpè in faucium acri dolore experior: si larga sit fluxio, & ea calens; capita papaueris & hyosciamus à Galeno laudantur. 4.catageni cap. 1. pulegij etiam semen fuluum cum aceto ad cataplasmatis formam redactum occipiti apponitur: sin minus; mitiora insectari, potius est; vt rosas virides, aut aridas passo maceratas, contusasque. citoniorum etiam succus non est improbandus, cum & semina ad ophtalmiam curandam prosint: sed adstringit nimis hæc medela: ideo cum iam aduentat dolor, ne oculi tunica humorque densetur nimium, lac immiscere oportet:

Sed

ſed & crocus cum lacte auxiliũ Galeni eſt: lactis etiam vſus cum roſata egregiam in hac medela habet laudem: vt enim nihil ad repulſionẽ dexterius roſa, ſic eſt nihil ad demulcendũ ſuauius ipſo lacte, præſertim, vt ſcribebat Gale. iuuencularũ. itaq; ex lacte & roſata vel roſato (nam & oleum lenit & digerit) adiecto oui luteo & croco, fit cataplaſma perutile Tralliano authore: iamq; magis humorem, qui oculo inhæret, diſſoluens: ſed antiquitas rerum elementa amans tepida fouet oculum lib. de humidorum vſu, & Gale. 13. methodi. 22. iuuat etiam pomũ coctum applicatum: iuuat oui ad duritatem cocti & oblongè inciſi album, dempto luteo, vt cauitas oculum amplecti, & ſolari queat, quod facit maximè. ſi intus reſperſum ſit lacte ac triticea farina, vel ordeacea: iuuat lac cum albo oui & croci tantulo. Sed lacte calibeato nihil præſtantius, nam ferrum, vt dixi oculis amicum eſt: repellit, refrigerat, humorem extenuat, ſenſimq; abſumit: Vtor etiam ipſe hac illitione pro compeſcendis & detergendis doloribus oculorum.

℞. Butiri loti aqua roſata. (Butirum à Galeno laudatur.)	vnc.	j.
Pompholygis optimæ.	ʒ.	ij.
Sief albi ſine opio.	ʒ.	j.

Cum modico aquæ roſatæ, vel ſi iam humoris adſit concretio, eufragiæ, aut feniculi, fiat lenimentũ in vaſe æreo, cui adijcitur crocus, cũ iam conſiſtit concretio, & inflammatio: ad quam extenuandam, vbi moderata eſt, Galenus corticem turis laudat. eo tempore oleum ex vitellis ouorum aptè inijcitur: Auice. & ſectatores è phiſticis expreſſum oleum commendant: quando iam puſtulæ proruperunt, non ſolùm in toto, ſed etiam in oculo: in quo tardius, vt iam dixi, viſuntur. Quomodo inflammatio ad maturitatem arte perduci, poſſit, res eſt à medicis pertractata: hæc enarrare, non eſt mei inſtituti, niſi ea ſint, quæ etiam egregiè partis moleſtiam temperent, vt præter dicta emplaſtrum ex pane croco lacte & roſaceo per ſetacinũ tranſmiſſis, meliloti item maluarum & roſarum decoctio in aqua ferrata; quem ad vſum fœnu græci vires à Galeno extolluntur: maturata inflammatio extergentibus & diſcutientibus tractanda eſt: vt aloe, mirra, quæ & recentes ſuffuſiones exterit Gal. lib. de oculis cap. vlt. & 4. catatopus cap. 1. ſarcocolla, tutia, roſato vel mulſa exceptis: huc faciunt, quæ à Galeno ad diſſoluendum oculorum ſanguinem tradita ſunt: quo in ordine eſt columbinus, thus & bitumen, hyſſopus

Gal. 13. meth. 5.

pus

pus anagallis & reliqua, quorum si opera sit irrita, per aures humorem extenuare, licet, & dissipare, castoreo iniecto, quod & aurium & oculorum dolores sedat à crasso humore natos. Hactenus de anodynis, & quæ causam ac morbum fugant. sed aliquando tanta est & doloris, & lædentis succi magnitudo & vis, vt adnarcotica, quæ aliquam sensui internecionem ferunt, confugere, necesse sit: non nisi in magno discrimine à Galeno admissa. 12. methodi. 1. in eo capite, in quo dolores curat. neque hic ea est humoris crassities, & frigiditas, quæ prohibeat vsum narcoticorum.

De narium cura.



SED ab oculis ad alia membra tutanda descendamus: & primùm ad nares: quæ in infantibus sic aliquando obturantur, siue ob angustiam, iniuria incendij & squalloris eius contractam, siue ob humorem à capite delabentem ob flammas, quæ liquant, siue, vt addidit Auicennas, a bothor & pustulis, vt nisi inijciatur, immittaturue aliquid, quod aperiat, extergat, emolliat, refrigeret, nec exsugere infans vbera valeat, nec tutæ sint nares ab vlcere. nam immanens humor tandem acrior ob moram in calido loco factus exulcerat, cuius exulcerationis caussa etiam est, vt dicit Auicennas, bothor, sicut variola: inijcitur autem lac cum saccaro: inijcitur succus maluarum & cremor ordei, immittitur mollis calamus illitus mulsa, vel iulep rosato, & violato; inclinante autem febre, si præsertim humor sit frigidus, melanthium & succus mentæ pro vsu est: Melanthio Galenus contrito vtitur, idque cum oleo: quod auxilij ad carcinomata etiam dissipanda conferre, creditur: Demum cum vinci humor, & euelli incipit opera detergentium, sternutatio irritari debet leui aliquo non scilicet albo elleboro, non pirethro, non euforbio, non castoreo, non synapi, nigella, & pipere, quo ex genere est & ciclaminis radix atque ireos, sed halitu combusti ordei: si variolæ naribus obicem ponant, instillatur vtiliter aqua ordei & lentium cum nitro; vlceri autem incipienti occurrendum est aqua consolidæ, plantaginis, bursæ pastoris, aqua item aluminosa & ferrea: vel quod mitissimum est, lacte, extincti calibis vim retinente, & plumbei vasis: sic vlcus etiam factum curatur: quod in naso

De narib. puerorũ affectis vide Aætiũ lib. 4. ca. 17.

Gal. 2. ca tagini 2. vide plin. lib. 20. ca. 14. & 19.

Gal.5.de meth.10. Auic.lib. 5.fen.5. tr.2. cap. 4.

minore, vt Galenus, & post eum docuit Auicennas, exsiccatione indiget, quàm in aure, maiore autem, quàm in oculo, partim scilicet repellens, vt pro Galeni lege 3. de compo. med. secundum locos cap. 3. partim discutiens medela quæritur, sed medicamenta illa à Galeno relata puerilem mollitiē excedunt, vt albus ellebo rus, nasturtium, id enim est causticum, attramentū sutoriū tempera tū & id genus erit aptum medicamentum, succus malorum punicorum in vase æneo ad medietatem coctus, item succus citoniorum cum vino, si naribus imponatur: item illud quod ex excremento plumbi, oleo mirteo, & veteri vino fit, addito propter æstum loci & febrem rosato, aut violato.

De linguæ vitijs emendandis, & gulæ etiam.

LINGVA pariter non modò vritur, cum ardentior pueros inflammat febris, sed pustulis humoreque nimio augescit, & implicatur, in his præsertim, quorum linguæ sic ab ortu inherent, vt nisi resecetur scalpello subnatum vinculum, explicare seipsas, nequeant. itaq; ne huiusmodi aliqua implicatio adnascatur, curandum est per refrigerantia, exsiccantia, quæ & pustulas detersas pellunt, & restinguunt sitim, humore feruido vel absumpto vel temperato. is plerunq; pituita est à cebro delabens, præcipuè cum nasus clauditur, surgensquè sensim à Ventriculo ad linguam & ipsum caput: vnde & albescit lingua, dictu, mirum vbi tanta bilis efferuet copia: hæc ad ambitum fertur. pituita in ventriculo immanens membranam linguæ albo colore obducit: cuius caussa est etiā putredo, quæ linguam & ventrem tenet, vti etiam in canitie ac lepra fit: canities enim capillorum marcor quidam censetur philosopho, quem putredo affert. in lepra autem, quæ putredinem molestam olet, albescere pilos, sacræ paginæ testatæ sunt: cum igitur albore quodam lingua perfusa sit, eademquè sitiat, sitim ab humore pituitoso plerunq; accendi, constat: aliquando quidem etiam & flauescit, & nigrescit lingua, sed rarò id accidit: albor est frequentissimus. Sed cur sitiunt, cum pituita humor sit frigidus? Sitiunt, quia pituita sæpenumero ob putredinem, bilisq; permixtionem est salsa. Sitiunt, quia humor pabulum & esca est incendij, cum accenditur. Sitiunt, quia bilis halitus à toto surgunt ad eam

Leuitici cap.13.

partem,

partem, tametsi non è vestigio colore bilis perfundant. Sitiunt, quia respiratio intestini foci iugulares venas obstructas nacta immanet, quo fit, vt linguæ musculos intus inflammans accendat sitim. Sitiunt, quia nasi obturatio, & sæpè etiã pectoris impedit liberum haustum frigidi spiritus. sitiunt, quia austri crassitudo cum venas replet, tùm verò eam, quæ, vt Diuinus Hippocrates docuit, à iecore ad caput surgit: itaq; accensus quotidie magis atq; magis cum inappetentia & albore linguæ accendit sitim. Sitiunt ob variolas, quæ & linguam & pectus tenent incessanti conflagratione, ac siti. Sitiunt deniq; ob ieiunitatem. ergo postquàm clamorem & dolorem compresseris, somnum, vt datur, pro Hippocratica sententia, conciliaueris, postquàm etiam eos ad comedendum hortatus fueris, coegeris, potum da, qui refrigeret, exsiccet, vt aquam oxalydis cum limonis & punici mali succo quo & oris vlcera curabat Colsus li.6.ca.11. Sed affectio & affectus locus fortiora interdum quærit. est enim lingua laxior & humens locus, humoriq; à capite delabenti peruius. quã & caussam esse censuit Arist. cur in ea grando concrescat, pustulæ genus vt in gula, sic eodẽ authore, in ipsis vt dictum est, renibus concrescens. itaq; exsiccantibus & adstringentibus validis abluenda est, decocto ordei vsti, rosarum, sandalorum, malicorij, aluminis, & id genus, & vbi per ætatem puer doctus est, vti gutture, tremulo haustu excipiat vicissim, reddatq; gratũ aliquẽ liquorẽ, vt aquã plantaginis, cui immisceatur vel præter dictos immaturæ vuæ succus, vel iulep rosatũ, aut quæ citoniorũ vocatur miua: hoc bilem etiam respicit: vbi crassior muccus iam præ igne concreuit, oxysaccara proderit, acetosus syrupus, acetum, sed rosatum; nisi vlceris vel in gula vel ingutture quædam iam initia conspiciantur: tunc enim satius est, vti decocto hyssopi, origani, addendo infrigidationis caussa ac repulsionis, semina sumach sorba azarolas, mora immatura, ligustrum, mirtillos: potest etiam in ijs, qui norunt medelas pati, puluis hic inijci, præsertim vlcere incipiente.

Lib. de sacro morbo.

Arist. 34. sect. probl. 4.

℞. Stercoris canis.
Boli armeni orien.
Terræ sigillatæ.
Acaciæ.
Hipocistidos.
S. Plantaginis.
Sumach.
Citoniorum.
} an. ℈. 5.

tenuissimè contusis vtitor.

Infantibus hæc eadem nutrices porrigant per vbera, eiſdem partim vſæ, vt ægrotantes, partim verò papillas madefaciendo.

De tumore faciei, & affectibus anginoſis.


AEC autem ſedulò ſemper quidem facienda ſunt, ſed tunc præcipuè, cum facies caputq; tumens minatur linguæ ac gutturi læſionem, quam vt præueniat puſtulas in cute excitat: ſed vbi tanta eſt copia feruidi ſanguinis, vt in puſtulas nequeat tota concreſcere, tumeſcere tunc mauult faciem, & caput extra, quàm intus conuelli, & conuellere vniuerſa, & hic eſt affectus, quem nunc curamus, tumor faciei & capitis, non in vna parte ſolùm, nec id à crudo & aqueo humore, ſed ex ſanguine partim pituitoſo & partim bilioſo: eſt enim hic abſceſſus plerunq; iuflammatio œdematoſa cum aliqua ſpecie ſacri ignis ex multarum puſtularum conuenientia exoriens, & copia feruentis ſanguinis, quare non eſt propriè hydrocephalon, affectus ille infantium proprius, quem & Græci & Arabes referunt. non eſt etiam affectio illa, quæ vocatur ſyriaſis à Græcis, cum hic fouea non adſit in ſyncipite laborantis, ſed eryſipelas œdematoſum & phlegmonoſum, hydrocephalon tamẽ & ſyriaſim quadantenus referens, cum hic & multum ichoris inſit, & ſyriaſis quoddam ſpecimen inueniatur: ſyriaſis enim ſub cane potiſsimùm gigni ſolet: quo tempore humor nimius puerorum nimio pariter cœli calore tactus exardet, tumor hic pariter vel vrente cane, vel ſimili tempeſtate premit, nempe auſtrina, nam præter cæteras rationes, cur ortu ſtellæ mundus exardeat, reſpiratio eſt auſtrina, quæ vt ait Galenus, per aliquot dies viget ab ortu illo. hæc ſanguinem bilefacit ſimul, & crudefacit, præſertim ſi non vnus auſter, ſed frigidiores aliquãdo reſpirationes perflent, quæ auſtri calorem temperantes efficiant, vt cum bile & ſanguine ipſa etiam pituita augeſcat magis, ab auſtro enim vt humido, ſanguis, qui & ipſe vt 1. de temper. Gal. docuit, humidus eſt, augetur, vt acriter calido, ipſa bilis, vt concoctionem viſceribus laxatis, irretiente, humor pituitoſus. hinc œdematoſi ſimul & phlegmonoſi præter cætera tumores fiunt, præſertim in pueris idquè in capite: auſtris inflammari vultus, repleri capita & ſenſus, hippocratica docet authoritas: huiuſmet etiam veritatis teſtimonium præbet Brixia, quæ annis. 1570. 1577. & non nihil

Gale. 1. epid. co. 1.

nihil etiam hoc anno; cum tale, vt dixi, nobis verteretur cœlum, præter pustulosas febres huiusmodi tumores in vultu peperit: nec solum syriasin hic puerorum tumor participat, sed tantò acriorem continet, quantò hic vulgatior, syriasis autem priuatior existit morbus hic enim sub cane eos tantùm puerulos quatit, quorum vel ingluuies, vel procliuitas ad id mali est maior: tumor autē hic capitis vnà cum variolis multos præhendit multò ante, quàm elucescat canis: in hoc igitur acrior, in syriasi mitior existit bilis: primùm quia causa est mitior, cum sparsim grassantes caussæ ab epidemicis, quæ non mera affectorum propensione, sed mera vi vulgus diuexant, acrimonia superentur: deinde quia bilis isthæc, quæ variolas & faciei tumorem facit, longius petitam concretionem & tempestatem quærit, quàm syriasis, priuatum malum: diuturnitate autem addi malitiæ stimulos, inconfesso apud medicos priscos est. Et tanti isthæc malorum succorum in corporibus mora ad cacoethian refert, vt qui humor recens sit genitus, is vulgaris aliquando Hippocrati censeatur, quam sententiam,& si modernus quidam vir multæ lectionis, vt non rectè translatam refert, cum nusquam aliàs phlegma epidemicon apud senem legatur: Hippocrates attamen confirmat scribens, recentem facilem esse, antiquam è contra & morè & curatu difficiliorem, quasi non ita vulgarem, & in quouis inuentam dicat. id quod etiam eiusdem Hippocratis mos confirmat, qui dum multos morbos publicè grassantes narrat, interim & grauius adflictatas naturas refert, & post tempestatem aliquos proponit, quasi non passos vulgarem ægritudinem vulgari modo, quæ maior calamitas Galeno & in ægri propensionem refertur & in temporis, vt de illo phrenitico dicit, decursum maiorem, quo biliosi humores in corpore ita moram traxerunt, vt à diutina illa conclusione excalfacti & efferati, iam non humores vulgares & communes multis, sed priuatum veluti quoddam venenum existimentur: vulgare tamen & verè æpidemicum, quando tanta est caussæ communis grauitas, atquè pernicies, vt multos, sicut in exquisita peste, ingenita isthæc venena perdant. & ne quispiam me carpat, quod de phlegmate vulgari & recenti loquens exemplum bilis attulerim: respondeo eandem esse rationem vtriusque: & huius patronum causæ Galenum volo, qui cum sæpè humorem biliosum tempore efferari, doceat, aliquando & de bile & de pituita simul idipsum docet, nec magister primus ab hac veritate alienus est: is duplicem pituitam refert, vnam frigidam, de qua libro de natura

Hip. lib. de lo. in homine.

Gale. 1. epid. tēp. 2. co. 7.

 hominis,

hominis, & in libro de internis affectionibus aliam calidam, de qua in eodē ipſo libro, & in libro de ſtructura hominis, in lib. de ſacro morbo, vt dicam, & in capite de epilepſia. eandē etiam veritatē profitetur Plato in ſuo de natura libro, vbi pituitæ duo genera deſcribit, recens & vetuſtū, quod ex tenerioris carnis eliquatione quadā ampulloſa concreſcit. Hanc verò duplicē phlegmatis ſpeciem ſic tractat antiquitas, vt aliquando frigidam recenſens calidam, quæ & ſalſa eſt, & pallidos, vt docet Hippo. facit homines, ſub bile ponat, aliquando calidam notans frigidam obuoluat ſilentio, vt in 4. de morbis: vbi febrem à bile, ſanguine, pituita, calidis humoribus magis, quàm ab alijs accendi, author ille ſcribit: nam vbi quæſo alius præter dictos humor accendit febrē, niſi pituitam calidam à frigida diſtinguas? ater enim humor ad bilem refertur: ſicuti & ſanguis, quatenus febrem facit, ſaltem putrem, refertur ad ipſam bilē: ſcribente ipſo: febres fiunt calefacta pituita, & bile. ſcio, inquies, non hūc eſſe germanum librū Hippo. & tu ergo ſcias, prognoſticos libros, quos vt Hippocratichiſsimos religioſè legimus, ſcias, inquam huic veritati annuere. ij. œdematum nomine, quos eſſe pituitoſos tumores conſtat, phlegmones, Galeno interprete, audiri volunt, ſicuti & phlegmonis nomine inflammationem admittunt: ergo etiam pituitam calidā ad bilē referri, poſſe non renuunt, cum hæc & ſalſa ſit, & ſalis vim habeat à bile & putredine, ex qua ſanguis & ſalſus & bilioſus fit demum phlegma teſte Tralliano lib. 12. cap. 2. à verbo φλέγειν deducitur, quod eſt inflammare, & ita conſtat deniq;, quod de bile accepimus ob temporis iniuriā inualeſcente, idipſum etiam de pituita non recenti, non vulgari, ſed antiqua, ferueſcente, & veneno cuidam ſimillima, dicendū eſſe, quod etiā comprobant Platonis verba ſcribentis. omnem hanc tenerioris carnis eliquationē vnà cum ſpiritu factā, quæ ex humiditate vento circumfuſa, calido videlicet, tumeſcit albam pituitam appellamus: recentis item pituitæ reſiduū defluxumq; lachrimarum atq; ſudorem & quæcunq; alia, in quæ corpus reſoluitur quaſi dicat. facillimum eſt pituitæ; quod tenuiſsimū, de quo Gale. ichor eſt mitiſsimus ſuccus. nō ita mite, quod craſsius, vt recens pituita: grauiſsimū verò, quod aridū, & acre, quod vetuſtū, quod accenſum tēpore, quod incendio craſſefactū, quod eliquatum eliquat, accēditq;, vt in maligna febre. hoc igitur ipſum eſt, quod cōſuetū humoris excedēs modū non eſt vulgare: quod vel in bothor & puſtulis lacteis Auic. vt virulentū à natura expelli ait. 7. 4. tr. 3. cap. 5.

Hip. lib. de internis affect.

1. de morbis.

Gale. 1. progn. com. 29.

De aph-

De aphtis.



AEC de facie tumida: melior conditio est, cum humor per labia tantùm protuberat; ad eum modum, quo ebulliens inflatur lebes: ebullitio enim humorem & à capite retrahit, & à ventribus sursum mittit, pro consensu illo, quo futurum vomitum labij tremor præindicat: id mali non mitiorum, sed grauiorum variolarum est. mitius tamen, quàm in malignis febribus, in quibus acrior est tumoris colluuio: tumoris dixi, quia & si aphtæ sunt oris vlcera, attamen in hoc morbo & turgidula sunt, & crustosa satis & causa est bilis ichoroides, non minus mordax, quàm sordida: quæ acrimonia exulcerat, copia tumefacit, calore autē inflata in crustā surgit: incipiens igitur malum ne reprimatur: sed detergere iuuat labium aqua ordei rosarum & furfurum, mulsa, & similibus à lotione illitio fiat: ipse vtor butiro eloto rosarum aqua, lenimento simplici, item rosato Mesue, vel vnguento quod ab vnguentarijs pomata dicitur: sed his addo tutiam, vel cerussam. ex illis ve confecta vnguenta: Auicennas lib. 3. fen. 5. cap. 5. huiusmodi vlcera dulcia curat rosato: sed repellentia iam proscripsimus, vtitur etiam cera & adipe gallinaceo: quibus ad exsiccationem addendus est succus mali punici, quo veteres ad vlcera vtebantur: quin Celsus & Paulus malum punicum dulci vino coctum & contritum admouent, vti præsidium singulare. & Auicennas vnguentum ex cerussa laudat mixtū cum mucillagine seminum citonij: quibus addi possunt terræ adamussim leuigatæ, samia lennia armena, thus, & si maioribus opus est, scoria argenti, plumbum vstum, alumen in fortioribus, idquè cum oleo mirtino: infantium vlceribus & mulierum alumen prodest, muccus vitis authore Plinio. fortiorum autem corrosionibus confert æs, pix, resina: si crusta & tumor adhuc persistit, & durus satis, locum oblinias rosato Mesue cum tutia vel butiro & modico radicum ireos: sed fortiora isthæc sunt pro tumore dissoluendo, cum subscirrhescit, siue in labijs, siue alibi.

℞. Marchisitæ. ʒ. 5.
Ammoniaci. ʒ. ij.
Farinæ fabarum. ℥. iij.
Cum oleo & cera fiat illitio.

vel ℞. Lanæ vſtæ. ʒ. 5.
Ariſtolochiæ. } an. ℈. 5.
Thuris.
Nitri præparati.
Ammoniaci. ʒ. j.

Minutiſsimè contuſa ad lenimenti modum reducito, immixtis oleo roſato & cera. horum vi tumor decidet. Dum hæc fiunt, interim per interualla eluere oportet locum roſarum, mirtillorum, gallarum, iuniperi, narciſi, & mezereon decocto. cuius folia, vt ait dioſcorides, cum melle trita, eſcharas etiam demunt: poſca & vinum Pauli teſtimonio ſunt præſtaatisſima: ſi quis puerulus hæc recuſet, puluere hoc inſpergatur locus, pro extergendo ſimul & ſolidando vlcere.

℞. Farinæ lentium. ʒ. j.
Spongiæ. } an. ʒ. 5.
Cariei lignorum.
Aluminis. } an. ℈. 5.
Plumbi vſti.
Boli ar. or.

Aloes ob amarorem, vti etiam iris ariſtolochia à labijs excludantur. liquiritiam potius cum celſo addamus, cum ſaccaro candido roſato. eodem conſilio ſi adhuc non excidat cruſta.

Accipe Bituminis iudaici. ʒ. j.
Lapidis phrigij. } an. ℈. j.
Marcheſitæ.
S. Plantaginis.

Et ſi grandis adflictet dolor, opij. g. vj.
Croci. g. iij.

Quàm minutiſsimè contritis vtitor.

Pro ditioribus & principibus.

Accipe Pulueris auri. } an. ℈. ij.
Argenti.
Corallorum rubeorum. ℈. iiij.

De auro Plinius lib. 33. de argento Auicennas relato libro: de corallijs idem legatur in tract. de med. cordis.

Pro miſerrimis vſui eſſe poſſunt furfures, cortices, radices, ſemina, & folia herbarum, quæ humoris exſiccandi facultatem habent, detergendi, maturandi, ſolidandi, cuiuſmodi ſunt oliua, ſaluia, conſolida, cupreſſus, agrimonia, berberæ, roſæ, plantago, ſumach, & alia.

Curatio.

Curatio.


ED iam tanti momenti malum curemus, ex quo vel minimum intruso periculum imminet & epilepsiæ, & phrænitidis, & morbi etiam attoniti. Huic igitur validis, si vnquam, & quàm longissimè tentatis reuulsionibus obsistiendum est, vt præter vulgatas formulas, scarificatione malleolorum, quæ vt ait Galenus, & humoris ad superiora impetum reuocat, & plenitudinem ipsam leuat. Non est hic tumor frigidis repellendus; cum partem afficiat nobilem, non calidis extrahendus, sicut parotis, ne eum accendas magis, cuius humor longè calidior est, quàm materia parotidis: non hic ergo est opus frigidis, sicut in satyriasi, non incisione, vt in eadem affectione & hydrocephalo: Quæ curatio à Galeno proponitur in libro, qui dicitur introductorius cap. 18. & à Paulo lib. 6. cap. 4. & ab Auicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 10. & 11. Sed oportet trahere quidem, sed trahendo imminuere materiam istam, antequam vel remeet in altum cerebri, vel in guttur pectus ve delabatur: soboles isthæc praua est fortis corruptaq;, quam vt docet Galenus 4. de san. tuen. quamprimùm ducere, artis est; cum maximè non reclamet, sed acclamet locus momenti magni. id verò præstant sanguisugæ, quæ vt Galenus docet, sanguinem ab extimò corpore hauriunt, gutturi simul extisq; prospicientes: admouere autem eas, oportet adenis aurium mediæ fronti, vbi grandis illa visitur vena, & venis temporum: vt sicuti triplex est via expurgandi capitis, nares, os, aures 6. aph. 10. quibus in libro de locis in homine quatuor alias addit, vt sint septem, ita triplici potissimùm è parte caput per hirudines expurgetur: Hoc præsidio, Homines ipsumquè Deum testor, me aliquando penè deploratos, quasi Diuina quadam manu liberauisse, qui scilicet iam non modo capite, sed gula pleniore erant, vt non appeterent, non deglutirent, magis verò stertetent, iacerent, nec ijs aliquo modo non profuit, qui copia tandem & acrimonia succorum victi occubuerunt: his addo illud etiam, quòd in maiusculis, nisi vires iam infractæ sint, vtiliter secatur cæphalica, secatur etiam vena linguæ, si præsertim affectus iam anginosus adsit: sed hunc præuenire satius est repellentibus: quo tempore tamarindos mandere conuenit, & immaturos fructus, vt pruna sicca, acerba enim & ponti-

ca repellunt: ſicut immaturæ vuæ ſuccus: item mororum & nucum iuglandium: qui vt gratiores ſint, cum iulep roſato miſcendi ſunt hoc modo.

℞. Succi vuæ immaturæ. } an. vnc. II.
Mororum.
Nucum iuglandium.
Defæcatorum. } vnc. vj.
Iulep roſati.

Bulliant parumper, & pro linctu ſint, aut eluenda gula, addendo ordei decoctum, & ſummitatum rubi, vel s. ſumach. & liquiritiæ: ſed prius totum euacuari debet, in puerulis per nutrices victu vtentes frigido tenui extenuante, in grandiuſculis autem per tamarindos, roſatum laxantem, & agarici trociſcos: agarico enim in eſſe vim expurgandi humoris turbidi, memoriæ prodidit Auicennas: & rationem puto, quia humorem incenſionis pabulum abſumit: itaquè & turbulentiam ab incendio exortam temperat. iam autem ſanieſcente, ac ſicceſcente abſceſſu, iuuabit caput tangere vapore tepidæ, quæ præſertim decoxerit ordeum & maluas: hæc medela & ſuppurationem adiuuat, & mentis perturbationes frenat, quibus pueri petuntur, cum vultus ardet ac ſanieſcit. demum maturus & euictus humor ille craſſior per nares, aures, os, trahendus erit.

Auic. lib. de med. cord.



VTRVM

VTRVM PVERI PARVI, VT CONVVLSIONIBVS, Ita melancoliæ ſint obnoxij.

Vbi de pituita & melanconia quædam Hippocratica explicantur.



SI nullo modo ex capite humor exit, præſtò adeſt epiplepſia, alterum ex illis duobus malis, quorũ vnum corpus cerebri, alterum mentem diuexat, reciprocantia, prout viciſsim vel meatus, vel temperies cerebri tangitur: & in pueris quidem meatus, in ſenibus, vtĩ etiam omnino inualidis, totum cerebrum, vt in apoplexia: in viris autem ipſa potiſsimùm mens percellitur: non in ſenectute, ætate frigida ſicca, mentis idcirco plenæ & intelligentiæ, non in pueris, quorum mens eſt veluti tabella raſa, in qua nec ſpes nec timor, citra quem non eſt melancolia, præ nimio humore & calore haud pingitur: calor quippe nimius inimicus eſt intelligentiæ, vt vel prouectior ætas ſit ſtollida, ſi abundet ſanguine, & ſi quis puer ſit præcox, is quaſi iam frigidæ & vltimæ ætatis particeps breui duraturus exiſtimetur: cum igitur pueri mentis vſu non vigeant, ne amentes quidem extiterint, niſi obſcuro quodam & confuſo modo, cuiuſmodi fortasſis eſt melancolia illa; de qua Hippocrates in libro de ſacro morbo: quam à pituita oriri dicit: talis nimirum non melancolia, ſed initium potius quoddam melancoliæ dicenda eſt. & ad hoc credendum, adducor, quia decebat, de ſacro morbo ſcribentem, de melancolia etiam agere: cum vt dixi, mutuò ſe ſe excipiant: at morbus comitialis plerunquè ex pituita & craſsis fit ſuccis: id negat nemo: igitur de eo etiam melancoliæ modo agendum fuit, qui ex pituita fieret: & quia puerorum videtur proprium, conuelli hac ſpecie, igitur & melancolia quædam ibi puerulis tangitur. id quod facilè etiam probo, quia niſi vel pituitæ nomine pituitam accenſam, & nigreſcentem, bileſcentemue intelligas, quæ idcirco bilis, vt dixi, nomine continetur, vel imperfectum melancoliæ modum intelligas, Galenus errat, qui errores mentis à pituita fieri negat,

cum

cum tamen, vt docuit Auicennas, ex vsta pituita melancolicus humor fiat, si non in pectoris cauitate, de qua Hippocrates 2. progno. sputum album rotundum, & glutinosum inutile: saltem in venis, & per acutiores febres: at in pueris multo humore scatentibus talis tantaquè pituitosi humoris non fit conflagratio: igitur tandem dicendnm est, à pituitoso & bilioso sanguine turbatos desipiscere quidem, at nō certa quadam vel stabili timoris specie, quemadmodum in vera melancolia. exaduerso autem eadem de caussa facilè conuelluntur, quia scilicet & calor nimius petit cerebrum, & in eisdem cū multa humoris copia neruosum genus existit inualidū.

Vide 3. progn.co. 34.

De caussis & more morbi herculei.



T quò acrior est caussa conuellens, eò & sæuiorem efficit conuulsionem, & plures ad conuulsionem stimulos continet; sæuissima autem illa est & maligna, quæ, vt ait Villanouanus, ex mixtura chymorum con surgit, præcipuè rufi & nigri. Quòd autem nullum hu mor hic conuellendi modum desideret, satis constat in malignis va riolis; in his sæpè humor corporatus ventriculos implet cerebri, vel ob crassitudinem, vel propter vndam accensi sanguinis: quem rubor faciei indicat. in his interdum res molesta contrahi cogit cerebrum, & conuelli, vt noxam excutiat. huiusmodi autem est, quod vel non planè obturat, vt vapor, ob inæqualem molestus motum; vel naturam aliquo etiam latescit stimulo: si vaporis nomine halitum audis, in variolis tale genus morbi caduci fit, partim à mero, si exhibeatur, partim à respiratione atri & feruidi sanguinis. si ad vaporem flatus etiam reducitur, qui & ipse conuellit, vt in vertigine, in hypocondriacis, in inflatione vteri, & ventriculi, ne sic quidem non conuellunt variolæ hæ malignæ, cum earum febris maligna sit, & plurimo ob ingentem satis putredinem ac cruditatem humoris huius obturbant flatu, quo & aures ægrorum personant: demùm in hoc malo acrior conuellit qualitas, cum biliosis & acribus ichoribus pueri præter eorum consuetudinem torqueantur, de qua comitialis formula 3. de lo. aff. 7. & 6. de sanit. tuenda cap. 9. in biliosis quidem epiplesia non fit, saltem vera & expleta, quæ scilicet benè implet, & claudit cellulas cerebri, cum exquisitum hoc malum à frigido & crasso humore fiat. 2. aph. co. 45. quem 3. de loc. aff. 7. dicit esse atram bilem & pituitam, alibi pituitam 6. aph.

Hipp. lib. de sacro morbo.

aph. 47. 3. aph. 16. quod & Rasis edocet: attamen fit etiam quandoquè imperfectus quidam herculei laboris modus ex vapore acri & in biliosis, & in non talibus naturis, quotiescunquè vnà cum capitis imbecillitate, quæ in hoc malo est necessaria. 6. aph. co. 28. acrior intus in sanguine qualitas præter earum naturam vigens, vigens dico ex putredine, vt in hoc casu, ad caput fugit: nec putredo solùm, sed febris, inedia, medicamentum acrimoniam istam
„ infert: de medicamentis Hip. conuulsio ex elleboro lætalis, his præsertim, quibus pharmaca infensa sunt, vt puerulis: conuelli etiam ob nimiam à cibo abstinentiam posse pueros, exemplo sit ille grammaticus, de quo 5. de lo. aff. 6. & 6. de san. tuenda cap. 14. & in lib. de sect. venæ contra Erasistratum cap. 9. in ieiunio nempe puerorum substantia ob mollitudinem ætatis defluit. in ieiunio nimius eorum calor accenditur: quæ mala Hippocrates eo aphorismo cemplecti-
„ tur, senes facilè ieiunium ferunt. omnium minimè pueri. iam &
„ febre acrimoniam suscitari conuulsionis plenam, author est Hippo
„ crates scribens. melius esse si febris conuulsionem sequatur, quàm è contra: febris enim prægressam ex repletione conuulsionem sanat, vti de quartana & diuturnis febribus Galenus refet. at conuulsionem si febris gignat, oportet vel accensum sanguinem acrem fieri, & sic conuellere, vel eundem à flammis tactum efferri, vel in capite præaggregatum fundi, & hac vi viam turbare sensus, motus, ac spiritus; qui à capite per neruosa membra illabitur. Demum in variolis epilepsiam concitat humiditas malæ substantiæ quæ, si terrestreitatem quandam quæris, assimilis est respirationi caprini iecoris, quod id mali authore Galeno, prouocat si aquositatem quandam crassam, & putridam, qualis fangorum est, austrinã vim habet, multum habens necessitudinis cum humiditate illa putri, de qua Gale. 3. in 3. de morb. vulg. co. 14. quæ omnia vel in cerebro per essentiam, vt solet dici, vel alibi quod teste Gale. non sæpe fit, vigent, idq; vel quòd genita, vel quod *Gal. in 6. de mor. vulg. 5.* aggregata sint, ex otio. 8. de san. tuenda, ob suppressas excretiones statas 2. aph. 45. & 5. aph. 7. vteri hæmoroidum, vomitus, alui, narium, sicut in pueris; sed vbi lumbricos relinquo, qui & ipsi pueros conuellunt, putrido & crasso humore, acri halitu, morsu ipso?

De cu-

De curanda epilepsia.


D præseruationem corroborandum est inprimis caput,& cum corde os ventriculi, deinde præueniunda est causa,intemperies,inquam,humores, halitus. in infantibus parato nutricis lacte in puerulis diæta sine vllo, si Paulum audiamus, medicamento, si Galenum, cum quibusdam ab ipso præscriptis in consilio de puero epileptico. in adultis sectione venæ, vel purgatione: quam methodum Gal. docet & in libro quosquando & in dicto consilio: & 6. aph. co. 47. & alibi etiam. ad curationem autem vigentis mali omnino est necessaria discussio vel humoris vel spiritus, qui quatit cerebrum: pro discussione autem est necessaria extenuatio per alterationem reuulsionem euacuarionemq; comparata: vbi, ne acta agam, quædam duntaxat adnotabo.

De alterationibus in vniuersum.


RIMVM calida capiti esse admouenda, vt detorpescat: non tamen quælibet pro vsu esse, vbi crassior obturat succus, sed quarum spiritus vel ob partium crassitudinem hærescunt diu, vt castoreum, mirrha, assa fætida, stercus, muris, & auricula: mustellæ caro; vel egregia extenuandi facultate vigent, vt iris, aristolochia, pirethrum medicina Hippocrates & Mesues. Mox addo; & si vulgatum dogma est, in epilepsia curanda, opus esse extenuantibus, præsertim cum pituita & sanguinis fæx abundat, non tamen ita omnibus vel ratio patet, vel caracter est cognitus extenuantium: ratio quidem est: quia siue cibi praui, siue domicilia fæditatis & situs plena, siuè cœlum graue & astrorum, præsertim lunæ laboriosæ animantibus vicissitudines id mali excitent, necessariò maleficium patrant, quatenus in humoribus & ichoribus crassitiem quandam vel ingignunt, vel mouent: alioquin ne acrimonia quidem concuteret, vt pro sententia Galeni concutit, nisi ob crassitudinis cuiusdam pertinaciam aliquando in cæcis illis meatibus moraretur: & exemplo sint febres, præsertim malignæ, in quibus & rigor, & crassior quidam ob vstionem humor erumpit ad musculos, qui tenuior vel mero halitu, vel sudore expellitur. iam nec quælibet ex-

tenuantia recipi debent,ſed quæ admodum ſpirabilia ſunt,& vaporis plena ea intus pro cibo cauenda ſunt, vt acrumina, ſinapi, & apium, teſte Auicenna, quod eſſe puto apium vocatum riſus: hoc enim ſicut deſipientiam, ita, quæ illius eſt ad cerebrum contentio, epilepſiam mouet: & hac de cauſa Gale.5.de locis aff.cap.6. grammatico illi, qui præ inedia & ſtomachi languore calamitatem hanc incurebat, album vinum modicè adſtringens exhibuit, quòd ventriculum roboret, nec caput tentet: huiuſmodi igitur attenuantia ne cibo ſint, mederi tamen, vt dixi poſſunt morbo, qui factus ſit, mederi, inquam, vt dictum eſt, diſſipando: Præterea cum attenuantium alia dulcia,alia amara ſint, vel alio quodam ſapore prædita,dulcor pro alimento ſit,amaror pro medicina 4.ſimpl.cap. 18. vt enim dulcia fluxam naturam reſtituunt, & veluti recreant, ſic amara turbant, cum medicamenti vim habeant, extenuantis,detergentis, expellentis & malos ſpiritus,& corporatiores ſuccos,& lumbricos ſæuos: nam vel ſerpentes grauibus fugari odoribus, ab ijs, qui de naturæ hiſtoria ſcripſere, proditum eſt: lumbricos amaris concedere, author eſt Galenus 7. ſimplicium cap. de braſſica. nec fœtus ab his ſunt tuti: nam Auicennas,quæ lumbricos necant, ſcribit, ab hortum facere, cuius ipſe inuerſam profero. quæ fœtus abigunt, ea & lumbricos reprimere,& comitialem tum citare, tum diſcutere: amara nempe ſunt terreſtria, proinde exterendorum ſuccorum facultatem habent. qua in claſſe ſunt etiam, quæ à veteribus ſacrum malum detegere,ſcribuntur; vt gagatis lapis, iecur hircinum, iecur etiam aſininum vſtum: nam ſi lac aſinæ vim abſtergentem, & idcirco phtyſicis ſalutarem habet, quid non multò magis & iecur, combuſtum præſertim, eandem virtutem geret? Sunt extenuantium hæc ſalſa, illa acida, acria rurſus quædam, amara cætera: omnia verò ſicca, vel actu, vel poteſtate: acerba, auſtera, pontica, vel non extenuant, vel acidi quippiam habent, vt mala punica,& citri ac limonum ſuccus: nitroſa verò ad ſalſa referri queunt, niſi perperam Galenus 2. de alimentorum facultatibus ritroſum humorem pro ſententia Philotimi ſalſum vocauit:iam & ex his quatuor attenuantium ſpeciebus accida neruis obſunt, niſi multo dulcore fracta, præſertim mellis, quod etiam & calefacit, & extergit: vnde medicamentum ex ſcilla & aceto conficitur non ſine melle; ſalſedo & propria ciborum eſt, & quamuis grata, deſiccat valde, vnde ſtomacho ſiccæ parti, & ex multis contextæ neruis, quam in epilepſia ſummo oportet tueri ſtudio, eſt inimica; proinde con-
coctio-

coctionem, & in nutricibus cibum impediens, ne lactescat, impediens videlicet, si cibi excedat modum: moderata ne medicamentum qudiem existit, cum vix immutet, sicuti è contrario, quæ excel-
3. de lo. aff. 7. lit; alterat plurimum, vt de salsis cibis dicebat Gale. melancoliã idcirco ingignens. Demum acrimonia pharmacorum, & venenorum est: ergo non hæc, sed amaror proprius videtur esse medicus comi-
Gale. 4. simpl. 18. tialium, de quo Gale. terminus amari (completi scilicet) est abstergere, acris vrere, dulcis nutrire quia hic à moderato calore fit, arimonia iam valdè ad igneam facultatem abscedit, adeo vt, si completa sit, vrat, sicuti staphisagria flammula, & id genus. aromata acrimoniam habent incipientem. rubrefacientia progressam, caustica absolutam: amarum verò ex dulci parum mutato fit: mutato inquam, à calore aucto, qui & auget terrestres partes, aqueis imminutis: terræ autem vim inesse abstergendi, constat, illiusq; beneficio etiam aquæ, adeo vt, quæ magis terram participat, sicuti pluuia, & fluuiorum, ea etiam detergat magis. adstringit etiam non nihil terra, dum siccat. adstrictione autem robur quoddam contineri substantiæ, quæ semper diffluit, nemo ambigit: amara igitur eligenda, vt pote quæ non modò casum istum restituunt, sed naturam corroborant, & ventriculi & iecoris & vteri & capitis, sicut rhabarbarum, & rhaponticum, aloes, addo, & agaricus: & si enim hic laxat quodammodo, vt spongiosum, attamen quà amarum, corroborat, quæ facultas etiam detergit, & detergendo euacuat, infestum cerebro. & ventri humorem pituitosum: veruntamen, sicuti cum amaris acrimoniæ & salsi quiddam inest, quia & salsa subamarescunt, vt marina aqua, & amara apertis venis sanguinem, vt de aloe legitur, effundunt, ita salsi acris & acidi etiam portio, at non sine dulcore aliquo, vt mellis, saccari, panis, vini, amaris misceri potest. in aceto scillino amaror quadam cum acrimonia percipitur: in theriaca etiam sales miscentur cum pane ac vino, & vtrunquè, sicuti & cum melle acetum dictum, ad leuandos comitiales remedium est celebratissimũ; quia quod aciditas incidit; quod sal extergit, absumit, dissipat, id acrimonia cum amarore turbans simul & roborans expellit. Quæcunq; aurem tandem sint attenuantia, ne plus æquo desiccent, moneo: exsiccare enim, quæ attenuant, Galenus docet in libro de attenuante diæta inscripto: idipsum etiã de salsis refert 4. aphor. 13. de amaris & salsis 7. de simpl. med. facul. vnde Auicennas Galenum imitans cibos laudat exsiccantes, sed moderatè: alioquin paulò post ait, abstinendum à cibis exsic-
catiuus

catiuis, grauatiuis, ſtupefactiuis vaporoſis. ſalſi ſint modicè, nitroſi & acidi, cum dulcore, niquid prohibeat, vt fluxus quiſpiam, ſint quadam cum iocunditate nitroſi, vt caricæ & betæ, & braſsicæ, quibus amarorem & acrimoniam quandam Gale. adiudicat: immoderata verò ſint procul, præſertim ſi febris non parua vrit, quæ ſalſorum vſu non modò augetur 4. acutorũ 8. ſed etiam accenditur 4. ac. co. 3. de qua 6. de morb. vulg. ſect. 2. tex. & co. 29. quam agnoſcere eſt eximia & ſiti & vredine, & laſsitudine, vt Galenus docuit vlceroſa: nec modò ſitim & febrem augent iſthæc ſalſa, ſed cutem etiam & ſubſtantiam maximè puerilem exulcerant: vti etiam acria, quæ, & ſi minus exſiccant, quàm ſalſa, corrodunt magis, cum hæc tenuiores & ardentiores; illa terreſtres magis portiones habeant, quæ vt minimè olfactũ mouent, ſic minus etiam erodunt, quàm tenues:, cum minus etiam niſi vt Gale. docet accenſa, vrant, & penetrent; penetrare enim & mouere ſenſum tenuis eſt, vrere autem calo ris acris: qui in acribus viget, quàm in ſalſis maior. id quod etiã cõ- *Gale. 4. acut. 2.* *4. Simp. 21.*
„ probat febris, quæ vt ait Gal. vehemens habet propter naturam te- *4. acut.*
„ nuium humiditatum, quas & acres & bilioſas ait: & ſi enim ichor, tenuis humiditas, mitiſsimus exiſtit ſuccus 2. in 6. de mor. vulgaribus co. 38. attamen cum plus æquo bileſcens accenditur. fit & ad penetrandum, & ad corrodendum acerrimus 4. acu. co. 8. vnde Galenus. tenuium humorum eſt vlcerare. ergo vigente febre, ſectari oportet, & quæ tandem aliquo exſiccent modo, nam & hæc vt dixi extenuant, ſicuti terræ, lapilli, ſemina, oſſa, cornua, veſicæ, vt apri, acida, nitroſa, amara, non tamen quælibet, ſed frigido humore nixa, aliqua cum partium tenuitate, vt acetoſam, cicorium & cicoracea, acetum, acetoſos ſyrupos, æque enim vrget vrens febris, & ſymptoma iſtud conuellens, vel parum diſsipari lance pugnant, & ſi timor epilepſiæ quæ ſcilicet non tam cito ſoluatur, vincit, cum frigidis acida & extenuantia aliqua miſceantur, quemadmodũ ſyrupus ex ſucco betonicæ, ex ſtoecadæ & huiuſmodi: extenuantia & euacuantia, ſi pluſculum caloris habent, emolumento expulſi humoris nimiæ calefactionis noxam rependunt. oportet quin etiam alterantia lumbricos enecent pueris fere ingenitos nec ſolùm caput, ſed quod illi maximè aſſentitur, cor, inquam, corroborent, quod à melancolia comitialis comite ac ſorore læditur. quem ad vſum laudatur caput muſtellæ: laudantur cranea, præſertim hominis, laudantur, quæ cordialia dicuntur, de quibus Auice. in lib. de med. cord. ſed vnicè roborat, quod cauſam aufert cuilibet moleſtam membro. *com relato.*

De eua-

De euacuationibus in vniuersum.

ITAQVE alterationi euacuatio debet præire; vbi adnoto, sectionem venæ id in hoc morbo facere, quod in apoplexia Auicennæ testimonio præstat, citò nempè vel liberans, vel interficiens. liberat (a paroxismo inquam epileptico) si copia premat sanguinis, quæ per quasdam veluti vndas caput percellat. occidit, si mera cruditas cerebrum & corpus teneat, quam Auicennas vbiq; timens generatim primum in secanda vena cauendum monet, ne in alterutrum ducatur æger, vel scilicet in calidorum ebullitionem, vel in crudorum frigidorum crudefactionem: deinde hoc ipsum non in hoc morbo duntaxat, sed etiam in phlegmonis curandis, vt in pleuritide, confirmat, reiterari, prohibens, ne materia congeletur, ex pharmacis autem puerilis ætas non ad mittit, nisi quæ in senibus, qui bis pueri sunt, à Gale. exhibentur, vt cartamus addo aloen, polypodium, epithimum agaricum à Galeno in hoc casu comendatissimum: trucisci de fine scamonio mitior medela sunt. pillulæ masticinæ, de agarico, de tribus cum rhabarbaro: hæc autem statim si necessitas vrgeat, propinanda sunt: si enim oculorum dolor pro Galeni sententia non dat inducias, sacermorbus, apoplexiæ proximus. 2. aph. co. 43. quomodo perseuerans purgandi admittit moras? dexterrimè tamen agendum est, ne dum æger conuellitur, conuellere tentemus ea quæ euelli non satis queunt.

Gal. 5. de san. tuen. cap. 9.

De reuulsionibus.

DVM euacuantur succi, interim etiam reuulsioni studendum est, vt si secas venam, eam tundi iubeas, quæ si consensus adest, mandantem locū euacuet, si caput per essentiam peccat, seces in plenitudine communē vocatam venam, deniq; partem mandantem vincias, comprimas: vt quod licet, à superis ad inferas partes & spiritum & humorem surgentem fouentem ve retrahas, fricationibus rubefacientibus, cucurbitulis. demum acribus œnemathibus & glandibus: summa enim, vt ex Hippocrate Rasis, cura epilepsiæ est, materiam subtrahere cerebro. quod reuellentibus potissimum fit auxilijs, atquè purgantibus.

Quæ

Quæ cuilibet comitiali curatio & in variolis & alias definitè adhibenda sit.



AETERVM, quò sæuior est morbus, eò etiam acriorem manum requirit: est autem grauior, qui per essentiam, qui ex atro humore, præsertim non nihil vsto; mox si pertinaciam quæris, qui ex pituita crassa: si concussionis vehementiam, qui ex bile & salso succo: vt enim primus ad melancoliam, secundus ad paralysim, perducit: sic tertius in febrem & phrænitidem potest finire. insuper quò difficultas spirandi cum concussione maior, eò maior, vt etiam in apoplexijs, naturæ pressura apparet. omnes quidem ita concussos iuuat quàm longissimè quæsita reuulsio, vt artuum frictio infantes, nexus puerulos, adultos cucurbitulæ, robustos crurum incisio: attamen vbi vel per essentiam, vel certè grandior adflictat conuulsio, fricare ad ruborem oportet, vincire arctius, cucurbitulas igne plenas cruribus imis ilijs admouere: & si ex ventriculo, cum vomitu præsertim, surgat labes, ipsimet, vel vmbilico in copia flatus, vel quæuis sit causa, ipsi ventri: & si hæc non sufficiant, artis est, crurum, vt dixi, venas secare: sectio nempe isthæc, sicut leuata, vt Galenus ait, plenitudine præseruat, præ- *Gale. 13.*
sertim si ex mensibus retentis fiat herculeus, eodem authore; ita *methodi*
ex consensu ortum compescit, non aliter, quàm hæmorrhoidum re- *cap. 5.*
uocatio natum, illis suppressis, ex melancolico humore sanant; idē etiam de varicibus dicendum est. sunt enim in cruribus venæ popli tis, varices, malleolorum, & tali venæ. Et si epilepsia ex pede
crure, certoue artu exsurgat, vt aliquando accidisse Galenus refert, *Gal. li. de*
vinculo reprimitur ille spiritus, calidis medicamentis admotis, *rat. cur.*
quæ illum dissipent: Galenus 3. de lo. affectis & Rasis vtuntur sy- *per sang.*
napi & thapsia. Auic. ruta syluestri, euphorbio, cantharidibus, *miss. cap.*
stercore accipitris, anacardis. sed vbi caput origo primaria con- *18. & 19.*
uulsionis est, validiore opus est manu: secatur humeralis, & inter- *& 4. de*
dum vtraq;, vti etiam alias magnis alijs in morbis fit, cum per vi- *tuen. va-*
rium robur licet. insuper, quæ sub lingua est, vena tunditur; & si *let.*
opus est, ventosa collo admouetur: non ad tertiam, vt in angina iussu Hippocratis vertebram fit, sed ad primam, secundamue: eadem autem ratio est purgationis: comitialem enim à membro certo

H natum

natum curant arcti, vt dictum est, nexus, emplastrumquè: qui à stomacho oritur, pulpa colochintidos, & ipsa aloes, remedium Gale. quam pro puerulis & infantibus pro languidis stomacho debemus capere: si magis roborare animus est, lotam; non lotam, si euacuare, solam rursus, si febris absit, aliàs frigidis, vt cicorij & acetosæ seminibus temperatam, quæ cum acetoso simplici, vel aceto scillino ad pillulæ speciem reduci possunt: potest etiam exhiberi semen cartami cum aloe, agaricus cum rhabarbaro in prouectioribus: dosin non scribo, quia pro mensium & annorum numero, vt docent, qui de dosibus scripserunt, euariat: si autem mera capitis culpa id mali patrat, laudant Doctores elleborum: hic nimirum non modò pituita, sed etiam humor ater plerunquè abundat, itaquè & pillulas cochias cum elleboro confectas medici, à cœna præsertim, & vt licet, parato humore, exhibent, quem ad vsum faciunt etiam in adultis, qui non laborent febre, faciunt, dico, pillulæ ex fumo terræ cum pillulis de agarico, & de lapide lapuli, vt si capias pillularum cochiarum pp. ℨ. j.
De tribus cum rhabarbaro. ℈. j.
Et cum aceto scillino fiant pillulæ. v. vel

Pillularum de agarico. }
De fumo terræ. } an. ℨ. s.
De lapide lazuli. }

Cum succo cucumeris asinini, & modica aquæ vitæ fiant pillulæ. v. vel

℞. Trocis. alandal. ℈. ij.
Cor. rad. elleb. nigri. ℈. s.
Salis gemmæ. }
Cinamomi. } an. g. v.

Cum oxymelle scillino fiant pillulæ iij. & inaurentur.
Si bilis vtraq; & pituita peccent.

℞. Antimonij præparati. }
Diagridij. } an. g. v.
Cor. rad. elleb. nigri. g. vij.
Pirethri. g. iij.

Cum sirupo de citonijs fiant pillulæ iij. & inaurentur.
Probantur etiam hieræ magnæ: vt Rufi, Hermetis, vel solæ, vel cum alijs mixtæ, vt cum agarico, turbith, pulpa colochintidos: sed hæc pro nutricibus; infantibus & pueris sunt nimis acria: trocisci de violis sine scamonio, diafinicon, pillulæ masticinæ, de hiera

cum

cum agarico nutricibus exhiberi possunt: infantibus manna cum aqua peoniæ, vel si febris adsit, cicorij & betonicæ: adultis Hamech cum melle rosato syrupo ve solutiuo exhiberi potest, prout bilis pituitaue, aut huiusmodi ichor abundet cum atro & salso humore: nam vbi cum febre inuadit concussor, & tortor iste, plerunquè calidi vel ichores, vel succi abundant: sed euacuationem præparatio, quando tempus datur, excipiat: de qua nihil aliud dicam, cum res sit nota: illud potius adnotans cum præcoquendi morbi non datur commoditas, fortiora, cum non datur, mitiora ad vsum facere, acribus, cum non sat faciunt œnematibus glandibusq; adiuta, plus minus acribus, pro caussa & gradu morbi: pro puerulis & infantibus glandes sint.

℞. Mellis. ℥. vj.
Salis. ℈. j.

Pro puerulis. Mellis. ℥. vj.
Salis nitri. ℈. j.

Pro pueris. Mellis. vnc. j.
Salis gemmæ. ℈. j.

Pro adultis. Mellis tantundem.
Salis gemmæ. ℈. j.
Diagridij. ℈. s.

Sed quod mihi ad epelepticam conuulsionem cum variolis intimis à febre excitatam mirum inmodum facere videtur, istud est.

℞. Coaguli leporis. ℥. j. s.
Ammoniaci. ℥. j.
Agarici trociscati. ℥. s.
Polipodij. ℈. j.
Salis gemmæ vel
Nitri. ℈. s.

Cum infusione rosſ. sol. fiat potio capienda per horas iiij. ante cibum.

Hoc medicamento & qui peccat humor, educitur; & intestinæ variolæ deterguntur, quas curabit etiam puluis lapidis marchesitæ, vel ipsos tumores dissipans, & per detersionem quandam leuiter laxantem neruos mitescit, ac cessat conuulsio Hactenus de purgationibus, & mittendo sanguine: Nec minus pro gradum

mali alterantium mensura diuersa est. præparant flatum & humorem pituitosum in ventriculo ortum & aggregatum syrupus ex absinthio cum oximelle, primùm simplici, dein composito: flatum & humorem hipocondriacum, eodem paro oximelitide, cum decocto feniculi, cicorij, buglossæ, vel boraginis, luppulorum ve aut fumi terræ. Præparant biliosos acresuè ichores syrupus è luppulus, è pomis, ex liquiritia, ex endiuia, vel cicorio cum decoctione proportionali: at verò pituitæ hnmoriq; melancolico crasso illi, qui ipsum metopplet cerebrum, huic, inquam, extenuando incidendo, detergendo, emolliendo longè maiora, in adultis præsertim, sunt necessaria, vt syrupus è pomis sabor, oximel scillinum, cum syrupo ex stoecade, vel betonica, præsertim compositis, idq; non sine decocto radicum peoniæ, aristolochiæ, origani, liquiritiæ, endiuiæ, & id genus. Sed in febre non miti, vt in variolis malignis, syrupus acetosus, mel rosatum, syrupus ex endiuia cum decocto acetosæ & Hyssopi satis est: ipsamet febris ad extenuationem remedio est. Hæc de præparantibus. Alterantium verò, quæ non præparationem conuellentis causæ, sed corporis affecti & expurgati alterationem prærendunt, sunt duo genera: primùm dyssipandæ, si qua est reliqua, ipsi caussæ, secundum roborandis membris addictum est. Dissipatur autem, partim alterantibus, partim pharmacis, quæ laxant, vel admotis, vel propinatis. Humorem in ventriculo dissipat aloes cum oximelle composito. vel exhibitus, vel oblitus: item mirrha, præsertim vbi lumbrici sæuiunt, cum oximelle scillino, est etiam pro vsu acetum scillinum cum syrupo, si febris vigeat, ex endiuia, vel oxalide. at si primariò laboret caput, laudatur assa & castorium, cum oximelle scillino epotum: supponunt euim medici malum hoc, vt principiò dixi, plerunq; oriri à pituita: præsertim in pueris: pituita est mater puerorum, ægrotationum scilicet illis familiarium, & sic interpretor sententiam Auicennæ scribentis. & ea, quæ non est mater puerorum, forsitan est de genere colericæ apud quosdam: nam & alibi in tractandis vulneribus idem author obstructiones vocat matres ægritudinum iecoris, vocat matrem sanguinis ex vulnere obductum tumorem arterijs, ex quo facilè de integro emanat sanguis: Rasis etiam matrem puerorũ vocat congelationem lib. 1. continentis ca. 6. cũ igitur hic casus plerũq; in pituitæ onus referri, debeat, & auxilia eius plerunq; repressionẽ prætendunt apud medicos gentis cuiuslibet: itaq; & magna recentiorum olea ne improbentur, oleũ scilicet ex anisis, ex sul-

Nota de matre puerorũ.

ex ſulfure, ex calcantho, ad g. v. cuiuſlibet in pueris, in prouectioribus autem ad ℈. 1. cum aqua endiuiæ ac peoniæ. Quod verò tandem ad ea pertinet, quæ laboranti capiti admouentur, epilepticos omnes non parum excitat & peoniæ radix, & vnguis vri, & rutha, præſertim ſylueſtris, quam egregiè extenuare, argumento eſt, quòd eius ſeminibus Galenus vtitur ad aſthma ex craſsis, viſcidiſq; ſuccis ortum. adiuuat etiam gallia muſcata in præfocatis cauenda fœminis, vel præfocationi obnoxijs, quibus ea conueniunt, quæ verſus ad ſuperas partes vterus auerſetur. inſuper confert capitis excalfactio, cum in omnibus plus minus torpeat: iuuant deniquè amica cordi, vt ſmarardus vel appenſus collo, vt vult Auenzoar, vel alligatus pedi, vt cenſet Raſis. ſed cum eſſentialis eſt noxa, longè acriore opus eſt manu: hic parantur illitiones ex mithridatica & theriaca confectione, acetoq;: tunc reſpergitur aqua vitæ caput, tunc probantur Arabibus pulpa colochintidos, albus elleborus, nigella caſtoreum, mirrha, bitumen, galbanum, ſagapenum, ſal ammoniacum, ſinapi, & id genus, quæ vel in pollinem redacta naribus per ſpiritum adigi, vel cucumeris aſinini ſucco in illitionis formam reduci, poſſunt. & ſi irritus adhuc eſt labor in fugando labore iſto, ventoſæ ſuper caput ſint. centaurea etiam, pirethrum colochintide, thapſia, ſinapi, ſtercore columbino, quin aliquando candenti, vel argento, vel ferro ſinciput; occiput ve inuritur niſi ab his medicum auertat conſilijs febris: hac abſente, calidiora alterantia ad frigidam humidamq; intemperiem caſtigandam pro vſu ſunt vt.

℞. Boli armeni orient.
Radic. peoniæ.
Sem. ruthæ.
Antillydis. } an. ℈. j.
Ruthæ caprariæ.
Rad. ariſtolochiæ rotundæ.
Corallinæ.

S. Seſeleos.
Salis ammoniaci.
Pul. cord. temp. } an. ℈. 5.
Sp. pliriſartotici.

Fiat puluis tenuisſimus.

Si autem cum pituitoſo humore putredo, bilis, & febris conſpiret, tunc calidis illis reiectis, in variolis frigidiora ſiccantia componenda ſunt hoc modo.

℞. Boli armeni orientalis.
Terræ lemniæ, quæ etiam sigillata dicitur.
Terræ samiæ.
Lapidis lazuli.
Vnguis vri.
Cranei humani.
Vulpini.
Mustellæ.
Rad. eringij.
Spondilij.
Quinquefolij.
S. Cicoreæ.
Acetosæ.
Plantaginis.
Cardi sancti.
Salis ammoniaci.
Sp̄ diamargar. frigidi.
Diatrion sandalorum.
} an. ℈. 5.

Et si variolæ erumpant, addatur etiam tantundem laccæ, quam in hoc morbo Dioscorides probauit: exhibeatur autē hic puluis infanti ad g. v. cum lacte, puerulo ad ℈. 5. grandioribus ad ʒ. 5. vel ℈. ij. Quæ calidam & siccam intemperiem restituant, medici veteres docuerunt: & huc spectat, quod à Dioscoride scriptum est. semina plantaginis, populi nigræ semen, serum lactis comitialibus mederi. item quod Nicolaus Florentinus refert syr. excicorea se epilepticum curauisse: huc demum pertinent balnea dulcia, Quæ bilem ex inedia mitigant, quæ os ventriculi roborent, à Galeno descripta sunt. De victu plena sunt volumina Rasis lib. 1. contin. cap. 6. & lib. 25. cap. ex Galeno aliqua retulit.

De tussi & asthmate.

De tussi puerorū Aætius lib. 4. ca. 18.



DE tussi & asthmate puerorum tractant neoterici: ego aliqua duntaxat adnotabo, inde orsus, quòd si spiritus difficultas, genus asthmatis, quod concitatior est respiratio, ab Angina, affectuue anginoso, magno illo pendet, curatio est curata gula: si autem alijs de causis fiat, eas pariter oportet reprimere, imbecillitatem virium modico ci-

dico cibo, at repetito: necessitatem ita ducendi ſpiritus potu largo frigidæ ordeatæ, inſtrumentorum autem impedimenta his, quæ eadem auferunt. in pueris tubercula rarò patitur expultricis & caloris robur. frequentior eſt cauſa deſtillatio replens & obſtruens. in hoc caſu variolæ pulmonem ac pectus premunt, quorum preſſura fit ac ſtimulis, vt eò etiam & à cerebro, & à toto corpore ſucci confluant cum hoc autem malo conſpirat tusſis vel ſicca, vel humida: humidior, ſi mera deſtillatio fatiget. ſicca autem, de qua 1. in 1. de mor. vulg. co. 12. fit quotieſcunquè, vt Galenus docuit vel ſunt fauces aſperiores, vel intemperie exacerbatur pectus, vel aliquid tenuis, illudq; paucum delabitur. Et quia humor hic plerunquè ſalſus & mordax eſt, intemperies verò exſurgens dubiò procul æſtuat, quæ & cauſa exaſperat fauces in acutis & malignis febribus, idcirco tuſsim ſiccam aliquando Galenus dixit, ab aliqua malignitati naſci: ſi præſertim & abſceſſus, & vlcus adſit, quæ mala & ipſa ad intemperiem referri poſſunt. Fit etiam huiuſmodi moleſtia explurimo ſimul & acri ſpiritu, qui vel à iecore, vel à liene vel obſtructis vaſis, atquè meatibus, præcipuè cum vruntur, ſurgens, ſi ventrem non tumefacit, vt in febribus peſtilentibus, pectora irritat; aliquando vtrinquè naturam ſolicitans. Et hæc cauſa ad aſperitatē reduci poteſt. Non ſum neſcius Galenum ſiccam tuſsim referre ex ortopnœa ſicca, & phlegmone ortam: ſed ortopnœa ad materiam intemperiemquè pertinet; cum phlegmone autem vel magna, vel aliqua infeſtat ſitis: ſi primo modo, quid cum tusſi arida, quæ parum æſtuat? de qua 4. aph. 54. & 2. in 6. 24. ſi ſecundo, iam ex illis eſt, quæ non ad proportionem ardoris accendunt ſitim. Dic etiam Galenum 4. ac 21. de tusſi ſicca loqui, & ea valida 2. in 6. & 4. aph. de leuiter irritante. An verò tuſsis arida excitari à lumbricis poſſit, res videtur controuerſa. nam Gal. 2. in 6. 17. & 24. antiquorū ſententiam non recipit, qui ſurgentibus ad os ventriculi animalculis procreari tusſim dicebant. E contra verò tusſis & ea ſquallens, ex febre peſtilenti oritur Auicennæ. obducitur ex acuta febre, eiuſdem teſtimonio; eadem igitur de cauſſa & à vermibus inferri poteſt, ob calorem ſcilicet, ob ſiccitatem, ob putridam reſpirationem. Quid? quòd & vermes præfocant: & veluti anginam faciunt. Auice. capite de angina: nō igitur rationi eſt diſſentaneum, poſſe eos proximum ventrem ſtimulare cum remotiorem, gulā dico, tam acriter laceſcant. Denique ſi ob acrem, vt in iecoris & phlegmone, & biliosa putredine non leui & parua, imò verò ob meros quandoq; flatus

Gale. 4. aph. 54.

Gal. 2. in 5. 14.

Gale. lib. 4. de rat. vic. in acmor. co. 21.

Vtrum tusſis ſicuti lumbricus ſiat.

Auice. ca. de tusſi & ſputo ſanguinis.

Auic. 1. 4. tr. 2. cap. 25.

flatus lateris membrana tenditur, atque dolet, quid non & eadem cum musculis extusfierit, cum spirabilis isthæc substantia compresserit? at hanc eandem respirant etiã lumbrici igitur ab hac causa aridior tussis enasci valet: Ne autem Galenum reprehendisse, videar; Vermes, aio, tussim suapte natura non excitare, mox addo, eosdem non esse huius excitatores molestiæ, ne si quidem irruant in ipsum ventriculum: nam vel sic præter æstum, inappetentiã, duntaxat vomitum, cruciatusquè eiusdem loci cordisq; excitare possunt. Tertiò fateor, posse eos id mali facere, quatenus multam edunt fuliginẽ, & eam benè acrem, ad quod maleficium necessariaest eorum & copia, & vis nauiter putrida retrusa, quàm molestissima: vt in febribus vel pestiferis, vel certè acutis, retrusis, malignis. quo ex genere Cum sint etiam febres, per quas variolæ ac petechiæ efflorescunt, iure tussim hanc edunt, de qua Auicennas relato loco.

" Accidit præfocatio in febribus conclusis: & quandoq; portendit in
" eis variolas: quando scilicet non visuntur signa præfocationis vel vterinæ, vel auriginosæ, alia ve huiusmodi de causa ortæ. Qui hoc laborant malo, si vel iuuenes sint, vel pueri ad tabem proni, quorum sæpè Galenus formam designat, ita sunt tractandi, ne vel in phtysim, vel in subcorruptionem incidant. abscessus autem formidandus, quando tussis diu, at non dictis de causis, sed ob cruditatem perseuerat sicca: phtysis postea imminet & pulmonis corrosio, cum acer influuit distillatio, sicuti tabes generatim superuenit, quoties pituita illa frigidior tempore ita calet, vt non modò non benè maturetur, sed computrescat, sensimq; pulmones conficiat: quod agnoscitur, quia & febris horrida quotidie, cum aduesperascit, accenditur, & arteria aliqua cum mollitudine acrior tangitur, nec expuitio eam refert spetiem saniei, quæ veræ maturitatis est particeps & assimilis concoctioni, sed graueolentem, virosam, tetram: quæ sicuti ingenis efflorescit liuens, subliuẽs ve, sic desubitu compræhenditur, qui in alterutrũ latus est difficilior.

Cura. Hanc quæ mitigant dulcia nõ omnino sint propter lumbricos. Non sint oleosa, si variolas intus cõcretas times, sed arteriaca, quadã cum abstersione, vt si accipias.

Aquæ ordei.
Farfaræ. } an. vnc. 15.
Pro linctu, vel
Succi maluæ.
Brasiccæ.
Aranciorum dulcium. } defæcati an. vnc. ij.

Quòd

Quòd si vel lumbrici, vel maior quædam corruptio adsit, succus ve crassior in thorace inhæreat, accipito amig. amar. contusarum vnc. 5. vel sp diaireos solomonis. ℥. 15.

Vel amoniaci.
Nitri præparati aut
Salis amoniaci.
Rad. aristolochiæ. an. ℥. 5.

Subtilissimè contrita maneant horas duodecim in dictis succis, deinde facta transcolatione cum saccaro, quod satis sit, fiat syrupus, qui asthma etiam compescet: sed pro infantibus vtor hyssopo contrito cum lacte: vtor eodem hyssopo & iulep violato, hyssopus enim est abstersor bonus, qui & spiritum facilem reddit, & scirrhos Galeno, nedum pustulas, euincit: iuuant etiam eos decoctio & aqua farfaræ, cap. veneris, calamenti, & si febris exardescat, violarum, vel cum lacte, vel potus caussa exhibitæ cum tantula quantitate olei amigdalini amari, nisi vel dolor capitis, vel diarrhea solicitet, vel vomitus exturbet, sinautem spiritus difficultas à flatu fiat partium inferiorum, qui in diaphragma insurgat. quæ flatum discutiunt, exhibeantur, at non sola, ne excalfacias, sed frigidis aliquibus, hisq; amicis pectori temperata: vt si. Gale. 13. methodi. cap. 5.

S. Feniculi.
Citri.
Maluæ.
Citoniorum. } an. ℥. 5.

Optime trita ad ℈. 1. exhibeantur hora ante cibum cum aqua farfaræ: semper enim & caussa & symptoma, vt tale, reprimi debet per ea, quæ & pectus leniunt, & caussas euincunt, nam, vt quotidie obseruo, nulla est spirandi difficultas tam parua, quæ siue à materia flatuosa, siue à destillatione fiat, alteram non habeat pro concaussa & complice: Quæ faucium asperitatem leniunt, quæ thoracis intemperiem calidam corrigunt, quæ tenues acresq; humores interceptos temperant, & maturant, ea in quotidiano vsu sunt apud medicos: ad vermes & suffocationem ex distillatione ipse vtor succi cicorij. ℥. ij. aceti scillini. ℈. j. vel ij. lactis parum: localia nimis sunt trita, & pro lumbricis & prospirandi difficultate.

De dolore lateris.


DOLOR hic, qui corripit pueros, est triplicis generis: vnus à flatu oritur: alter à lumbricis: ij enim, vt tussim, sic dolorem costæ inferunt, consensu quodam. Tertius est pleuritis spuria, nam & musculi læduntur ob copiam humoris nimij, qui à capitè illabens eos irrigat, laxatq; & quod influit, non sanguis bilescens est, sed crudior, serosusq; : flatum quidem à febre excitari priorem, rationi est consentaneum, sed pituita concurrit postmodum, partim flatu allecta, dolore attracta, partim liquescens, vnde & ampullosam esse cum Platone conijcio: duplici tantùm ratione fretus: nam ex rebus argumenta sumpta, dicebat Tullius, sunt valdè modica. hic dolor fomentis cedit plerunquè, ergo ab humore tenui ortum habet: hæc eadem molestia sudore vti etiam in morbillis, finiri solet, igitur à succo minime crasso oritur: sed valdè tenui: in petechijs à crassiore: ex altera parte quædam viget exustio. ergo biliosiorem oportet esse humorem illum. hæc tandem est tempestatum natura varia, quæ inualida quidem reddunt thoracis latera frigoris vi, quod alternat cum æstubus caput & corpus replentibus, & sic pleuritides, lateribus oppletis, vulgant, sed qualitatum maiore minoreque intensione & protractione sic differunt, vt hæ pleuritides ichorosiores & pituitosas, illæ veras, hæ tenuiores ac faciles, illæ difficiliores ingenerent: à variolis raro vel nunquam stimulari pleuram puto: tum enim spiritalia tenuiore aluntur, præsertim in pueris, sanguine, quàm vt variolas & petechias fundant, nisi, quod & pessimũ est, ob vstionem magnã, tum verò est membrana densior, quàm vt ab hiusmodi pustulis penetrari queat. Veruntamen huic humori biliosum & tenuem addi quandoq; ab igne sanguinem, & sitis, & loci calor, & pulsuum partim subduritas quædam, partim auctior, vti etiam interspirationis, frequentia significant: sed, quæ est ad tutandam ætatẽ istam naturæ prudentia, cito à valida expultrice digeritur. Quocirca si & à morbo, & à natura ægri agendorum indicatio sumenda est: miti opus est curatione, ea nimirum, qua vera lateris inflammatio ab Hippo. principio tentari solet: & si non est secanda vena in pleuritico puero lib. de suffigur. empirica: multò minus in hoc dolore: sunt autem ea fotus triplicis modi: primus est aqua calida. secundus

Plato in Timæo.

Hipp. 2. acut.

dus hordeum, & eruum diluto aceto feruefacta & admota. Tertius milium & ſal fricta, ac torrefacta, in ſacculosq; concluſa. Cur autem probatisſimum dicat ſenex, eſſe calidam, ratio eſt, quia, vt calida, dolores lenit, vt aqua verò, & ſi per ſe epota non caret culpa. 1. acut. co. 43. attamen admota, & ea calens, in doloribus mirifici exiſtit vſus, ſicut etiam infebribus 4. ac com. dicto: internis quidem eſt infeſta inflammationibus, vt dicit Galenus ibidem, & Auic. in curanda pleuritide, inimica etiam febribus, quanquam ardentibus, quæ ex ſalſo humore fiunt. 3. ac co. vlti. attamen foris eam dolenti ob flatum, ſeroſum humorem, vel phlegmonem loco, præſertim non frigidam, admoueri, quid prohibet? cum enim ſedentur dolores per anodyna, per euacuantia, per ſtupefacientia hæc, vt actu calida, anodynis adnumerari, debet, cum pellem ra refaciat, humorem, qui membranam vel mordet vel tendit, ſi non ad ſenſum, ſaltem halitu & tranſpiratu diſſoluat. 4. ac. co. 1. alioquin ſola bilis, vt ait Galenus, per cutem ducitur, cum ſit tenuior, vti etiam ichor et flatus: vt aqua verò non modò humoris acrimoniam dulci humore mitigat, ſed membranæ ſenſum non nihil hæbetat, cum aqua, vt aqua, ſit valdè frigida, & ideo neruorum moleſta ſenſui, elementum ad generationem expeditiſsimum, materies fotuum, quibus & pleuræ & ventriculi & ventris, & viſcerum dolores temperantur: culpa vacans, cum ſit dulce auxilium, quod, ſi non prodeſt, certè nec lædit: hæc igitur etiam inprimis huic dolori adhibenda eſt: & ſi enim dicit Galenus eo loco fomentis humidis phlegmonem à bile ortum, ſiccis tenues humores, mordentibus craſſos & viſcidos temperari; attamen ſi humida bilioſum ſanguinem, qui in phlegmone ineſt, extenuant, & ita dolorem leuant, quid non & ichores flatumq;, ſubſtantias citra omnem controuerſiã ſubtiles, excuſſerit? ſi præſertim extenuans aliqua vis accedat incoctinempe feniculi, aniſiuè, aut camomillæ, vel meliloti, & lini ſeminum, vel quod Hippo. placet, ſalis & milij: eadem ratione, ſi cum phlegmone craſſi humores adſunt, ſecundi fotus conſilia addenda ſunt: vt ſicuti trina cauſſa, quæ triplici hoc fomento miteſcit, permiſcetur, nam phlegmon, quem primi fotus leniunt, ex pituita craſſa interdum, vt eſt Gale. obſeruatũ, proinde ex flatu etiam concreſcit, ita etiam fotus exempla cõmiſceantur. at inquies Gal. dicit, ſecundũ conſtare ex primo humido & dulci, & tertio ſicco & acri: fateor. ſed illa permiſtio eſt duntaxat penes modũ & intentionẽ, nõ quoad affectiones, eandẽq; materiã fomentorũ, quã paulò poſt declarabo. quia *Gale. 3. ac vlti.*

locus

locus hic eſt vtilis, perbellusq; , Quòd autem ab vna fomenti ſpecie ad aliam tranſire, oporteat, edocet inanis vſus illius, quæ primum arrepta ſit. vt ſi primum & tertium fruſtra tentaſti, craſſorum diſſolutioni ſtudendum ſit, quod hordeum, eruum, Hippocrati, orobus Galeno faciunt, vel aceto excepta, vt naturam expellentem ſolicitent, vel vt ne pueros nimium exoluamus, decocti modò, adeo vt primus ille fouendi modus iam, vt materia formam, ita ſecundi & tertij poteſtatem, & vim admittat: tres videlicet hæ fomentorum formulæ tria continēt, cauſam leuandam vi extenuante: extenuationis ſcopos, & materiam, quæ extenuat; primo modo ſunt omnes ſimplices: cum ſuum quælibet obiectum & affectum reſpiciat, prima phlegmonem, ſecunda craſſos viſcidoſq; humores: tertia tenues: ſunt etiam omnes anodynæ, cum aliqua vi caloris agant, attamen & ratione ſcopi, & ratione materiæ auxilij ſimplex eſt primus fotus, qui biliosum ſanguinem inflammatione contentum facilè admodum tranſpirationi cedentem diſſipaturus ſola cutis laxandæ, & temperati caloris facultate contentus eſt, & aqua ſimplici. tertius verò tenues ſuccos eductu facile tractans forma eſt ſiccus: propterea quòd humidi penetratione non indiget, facultate extenuans, more dulcis, extenuans, vt educat, dulcis, vt leniat, acer vt extrahat, mordax & dulcis, vt cum manſueto benignè agat, cum ſallo & acri acerbius, ex pultricem irritans, vt dolori extrudendo cum arte conſpiret: & ſal quidem; ex quo illud fomentum fit, eſt acre: milium autem, vt ait Diuinus Hippocrates, eſt beneuolum, quod vel eius cortex ſignificat, ſtrenuè hæmicranias, & dolores ab acri cauſa excitatos remittens. vnde etiam arcanum eſt Hippocraticum, quod Gale. alijq; de componendis alexipharmacis, magnis præcipuè poſtmodū docuerunt, vt ſcilicet partim ex familiaribus & iucundis, partim ex acrioribus, & quaſi venenis cōficerentur: cum autem extrema ita ſe habeant, phlegmum dico, & tenuis abſq; tumore humor, humores craſſi, qui nec tenues, nec tumor ſunt, tumoris tamen cuiuſdam inſtar in loco hæreſcunt, media quadam ratione, ſicca nempe humidaquè, ac benè penetrante ratione tractandi ſunt, acri, vt ſecunda, ſed multò plus: primam autem omnino ſimplicem, & mitem Hippocrates propoſuit, inprimis quaſi leuamen inflammationum, quas in lib. de rat. victus in acutis morbis non minus atquè acutas febres timet, curatquè, deinde vt eſſet veluti materia aliorum: poſſunt enim miſceri obiectum & obiectum, vel cum alio, vel cum ſeipſo; vt mite cum miti, vel è contra: poteſt

miſceri

misceri scopus cum scopo, auxilium cum auxilio, & penes formam, & iuxta materiam: possunt etiam misceri omnes sed Hippo. mos est: rerum elementa tradere: igitur, si cum phlegmone ichor, præsertim acer, coniungitur, aquæ incoquenda aliqua acriora: & si enim calidæ aquæ dulcor acrimoniam obtundit, calor verò eandem extrahit, attamen acrior, tanquam ea, quæ ob vstionem est densior, acriore etiã debet humore excuti, quàm dulcis: si cum crasso humore, ad huc quærit validiora: similiter si cum tenui, vt in hoc casu, humore acrimonia coniungitur, acriora permisceãtur. si inflammati vel ardentis quippiam, accedat aqua: adeò vt si cum variolis adsit erysipelatosa quædã collectio, primum fouendæ partis consilium in calida sit collocatum. secundum in calida, quæ maluis & hysopo, vel milio & & meliloto aucta sit. tertium in oleis partim frigidis & partim calidis, vt amigdalino amaro, & violato: vel hoc & camomelino. si tenues duntaxat offendunt fucci, milium & sal; hordeum & eruum, vel orobus feruefacta pro vsu sint: vel eisdem alterata aqua: si autem cum his crassi etiam humores adsunt, acetum, acria, vel cum his calida etiam aqua medelæ sint, cuiusmodi est fomentum ex decocto hordei, erui milij, & salis, non sine aceto. vel decoctum feniculi, violarum, maluæ & hysopi, nil repellens admittit senex: admouentur autem hæc omnia vel per merum halitum ex vase, vel per sacculos, vesicam, vtremve hærentia: aut spongiam. illitiones à posterioribus paratæ trini huius fomenti Hippocratici viam imitantur. primi quidem modi, olea & humida. tertij eadem, vt siccans quiddam admittunt. Secundi verò, quatenus acrioribus vt aceto, nolunt destitui, cera addita, vt magis hæreant: vtsi pro tenui humore ac flatuoso sumas.

Olei amigdalini amari.
Camomelini. an. vnc. 5.
Contriti salis. ℨ. 1.
Ceræ. q. 5.

Pro crasso autem humore Olei irini. } an. vnc. 5.
Amigdalini dulcis.
Farinæ orobi
Vel erui.
Hordei. an. ℨ. ij.
Cum cera & aceti modico.

Et si hæc non sat fuerint, illitum locum resperge cumini, vel anisorum puluere. huc facit, vt vulgata prætercam, oleum ex terebyntina,

tina, & anisis aceto & cera exceptum: Quæ si frustra tentantur, duo sunt reliqua, quæ experiaris, primum euacuatio, secundum curatio veræ pleuritidis: de qua curanda hæc tantùm dicam: primùm non esse diutius fomentis vtendum, cum sine fruge vtimur, ne, vt

Hip. 2. acut. 9. ait Hippocrates, eorum calore pulmo exsiccetur, materia saniescat: id enim à sanguinis præcipuè sputo est malum, eodem authore. secundo in pueris & senibus mitiore medela opus est: in ijs autem, qui vel distant à senectute (senes enim magis pereunt, quàm iuuenes, dicebat Rasis) vel ex pueris excesserunt, validiore. Tertiò fomenta sint partim refrigerantia, partim extenuantia, vt si accipiatur,

Olei violati. Amigdalini dulcis	an. vnc. s.
Vel mucillaginis. S. Maluæ. Olei irini.	an. vnc. s.

Quartò erumpentibus variolis, & dolore pueros torquente, amigdalinum dulce recens, & leniter extractum est opportunum cum succo maluæ exhibitum, & lacte infantibus, sine lacte ijs qui incunabula reliquere: hæc medicina pectus lenit. hac variolæ protruduntur. & si quis difficilè expuit, intusq; habet variolas.

℞. Succi aranciorum. Maluæ. Brassicæ defæcati.	an. vnc. ij.
Ammoniaci. Nitri præparati. Rad. Aristolochiæ rotundæ. Iridis.	an. ℥. s.

Infundantur per horas duodecim: facta transcolatione. ℞. Saccari. q. s. fiat syrupus: si variolæ intus non adsint, ad tussim sufficit linctus ptissanæ. Quintò si lumbrici dolorum fouent, oleum dictum amarum sit: eosdemquè deorsum allectos dulcibus, sursum repressos grauibus, quæ & præfocatas releuant, amaris propinatis oportet explodere, vel euacuantibus, vel alterantibus; aut vtrisque simul.



De anxitudine, & singultu: quædam item de inflatione, ac diarrhea.



VOD Hippocrates tradidit. Ventrium abundantiæ, (ventriculi scilicet, iecoris, capitis venarum) turbationem faciunt; febres putridæ & acutæ comprobant, præsertim, quæ pustulis ægros perfundunt; in quibus post multas alias turbationes iactatio tandem, singultus, ventris & fluor, & tensio exoriuntur maleficia, febres istas eo nomine malignas esse indicantia, quo author libri prorrhetici febres ex hypocondrijs malignas dicit: & si enim non loco, vt caussa est, malignæ habentur Gale. attamen malam significant affectionem partium nobiliorum, vt iecoris; hæ scilicet, vti etiam aliæ, non coafficiunt, præsertim valdè, partes vicinas, nisi ipsæ primùm valdè sint læsæ: adeo vt grauiter affecto cerebro sequatur vomitus, eodem authore: igitur ventriculum euomere, messenterium obturari, lienem & ventrem tumescere, malignum est, cum hæc mala non nisi grauiter laborante hepate oriri possint. quod si leuius ægrotat, minore scilicet & cacochimia & copia, eius magnam partem in se tenet, modico ad alias partes mandato: si autem multum ipse crudi & reiectanei habet, quod intra proprios coercere fines, non queat, hæc ipsa sarcina & alias partes onerat. Est anxietas quædam iactatio: hæc autem vel corporis est vel animi: illa autem, vt idem docuit, vel æquabiliter corpus dimouet: vel inæqualiter. æquabilis dimotio vel à pituita vel ab æstu fit, illaque in sanis: ob nimios quippe calores vel bruta furunt: pituita verò, cum sit humor frigidus, nunquam exagitauerit, nisi vel inuenis putrescens præsertim cerebri motricem stimulet (sed hic furor, non anxietas dicendus est) vel à cerebro in ventrem, acrior præsertim defluat: sed Hippocra. hanc turbationem non anxium motum vocat: propterea quod in anxitudine læsio inest ventriculi aut per essentiam, aut per consensum: per consensum autem vel consentiente ventriculo cum aliquo viscere, præsertim nerueo, vt vtero, vesica, in qua cum mouetur lapis excitare anxitudinem, scribitur. 4. de morbis libro: vel mali seminibus: aliunde confluentibus ad ventriculum, sicut docuit & Stephanus Atheniensis medicus probatus, cuius meminit Rasis, & multò antea Galenus ipse, vel omnino

Gale. 1. prorrh. co. 10.

Stephanus 1. ad

ob ali-

Glauc.cõ. 12. ob aliquod ventriculi vitium 1. progn. 16. 2. acut. 44. 7. aph. 44. cuius vitij effectus generatim à græcis dicitur ἀπορία quæ, vt à Gale- Gal. 1. ad Glauc.co. 14. no accepi, vel ob languorem iacentis, vel ob affectionem ventriculi oritur: & in respectu quidem primæ causæ verbum hoc sonat irretitummotum, qui proculdubio, vt pulsuum exemplo patet, est Gale. 1. prog. 16. etiam inæqualis: & ita sumitur à Platone in Cratillo hæc vox in relatione verò ad secundam denotat motum corruptum: & ita Gale. vocem hanc audit. 2. acutorum co. 44. quomodo videtur acutorum propria, vti etiam illa dictio Hippocratica ἑτεροῤῥοπέας 4. ac. com. 56. quæ huc & illud per crisim posse declinare, indicat, & idcirco quandam, vt principio dixi, turgentiam. Cum autem corruptus motus ventriculi culpa ortus vel sit artuum dispersio, vel compresſio diaphragmatis & difficultas spirandi de qua anxitudine eodem 2. acu. 44. & in libris de morbis vbi de pulmonum vitijs agitur, necesse est pro statuto principio anxitudinē vel priore vel secundo motionis genere contineri, vti etiam Aristo. singultus, quem vir hic pulmonis esse vitiū existimauit. 35. probl. 17. secundo dixi quatenus est via ad primum: quod non accidit, nisi cū difficultas ducendi spiritus acutum aliquem, & acrem morbum sequitur: anxitudini si quidē Gale. ventriculi morsum adiudicat. 1. progn. 16. & 2. ac. 44. mordent autem primùm quidem vapores ipsi: proinde, vt singultum, sic etiam anxiam hanc iactationem inferre, possunt, vti etiam alia symptomata earum febrium, quæ sunt præfocatiuæ, & lætales Auic. ca. de angina. Auice. in quibus scilicet calor & putridus & mordax est, & præterea in altum retrusus: alioquin diffusus viscera non conuellit: & quemadmodum hic est tenuior, ita conclusus & stimulans existit crasſior, atquè acrior: vt enim frigoris Galeno aliud est tenue aliud crassum 11. simpl. cap. 22. & 24. ita etiam calor, & calor mordax ibidem cap. 23. vt mordax ergo & crasſior is est, qui ventriculum expunctum angens irrequietem affert, proprium symptoma earum febrium: quas Hippocrates vocat ad tactum mites: mitiorem tamen, quæquè potius ἀπορία genere, quàm anxitudo dicenda sit: oportet igitur adsit humor, qui mordeat, quemadmodum etiam in singultu: quem & non semel vidi obortum in febribus, quoties acrium humorum excretio supprimeretur. is autem, si ichor sit, & ex inedia aggregatus, leuem adhuc, vti etiam, qui ex cibo cor- Gale. 2. acut. co. 44. rupto fit, anxitudinem generat: pro inde ij non anxii a Galeno sed ἀσώδεις. Hoc est fastidiosi appellantur. si a toto isque cum copia anxios & cardiacos 3. prorrh. co. 38. necesse igitur tandem est,

in an-

in anxitudine ventriculum, ore præſertim, vbi acrior ſenſus viget, ab acri aliquo ſucco morderi. & is vſquè adeò eſt egregius acerquè iactandi modus, vt non genere, ἀπορία non faſtidium, ſed cardialchia à cauſa nuncupetur, quaſi ἄλυκη cordias, hoc eſt oris ventriculi, quod à priſcis cordicebatur, moleſtia, anxitudini illi, quæ morſionis eſt expers, relicto affectus nomine, quod eſt ἀλύκη hoc eſt, vt Galenus interpretatur, quaſi tædium ſui & diſplicentia. itaquè & de cardialchia tanquàm ſymptomate, quod ſenſum vnicè feriat, Galenus vnicè item agit, quando ſymptomata enarrat, quæ ad ſenſum ſpectant ventriculi: de alijs autem ſparſim tractat: vt 7. aphor. 54. vbi ait, obturbare non cardialchiam, ſed anxitudinem, & faſtidium, quotieſcunquè, ait ipſe, propria quædam » moleſti humoris qualitas, nequè multa, neq; innatans in ventriculi » capacitate, ſed altius in ventriculi tunicis imbibitur. quaſi dicat. an» xitudo vera & apprimè ſolicitans eſt affectio oris ventriculi: non exquiſita tunicarum, quæcunq; ſint: acrior item à cauſa mordente fit, præſertim, vt 1. ad Glauco. 14. edocet, à bile, & bileſcente humore ob non leuem putredinem & æſtum malignæ febris: ac verò, quæ communiter talis dicitur, fit ab ea humoris vi, quæ ſi non laceſcit acrimonia, certè angit moleſtia; non ſiquidem multa, quia ſtatim vel euomitur, vel fit domeſtica, minimè excrutians, non innatans, quemadmodum in ipſo vomitu, ſed imbibita: nec ea craſſior, vt in ſingultu, qui hac de cauſſa & tardius apparet, & per vomitum releuari ſolet difficilius, quàm anxitudo: ſed paulò tenuior, quæ tamen non è veſtigio figitur; alioquin omnino imbibita nec ventriculum inæquali intemperiei tactu illo, quo moleſtia omnis, dolorquè Galeno iudice, continetur, nec corpus inæquabili motione agitaret; ſed partim eſt infixa, & partim aſſiduè vel accedit aliunde, vt à iecore, liene, hypocondrijs, cum inflammantur, & præ æſtu, vt Hippocrati obſeruatum eſt, pulſant, vel certè penetrat, adigiturq; magis, vel à ſucco, vel à phlegmoue, qui, vt ſingultum Hippocrati, ſic etiam anxium hunc affectum parit: in ventriculo quidem minor exiſtens, (nam magnus è veſtigio contiahit habitum) in iecore autem, dicebat Raſis, multò maior, & hac de cauſa etiam malignior, quod Hippocrates malignitatem ſæpenumerò malitiæ nomine ſignificans firmat ſcri» bens 7. aph. 17. à iecoris inflammatione ſingultus malum: opor» tet igitur, cauſam hanc tùm fixam eſſe, tùm figi: id quod etiam ea ratione firmari, poteſt; quia & ſi humor hic exulcerare amat, &

Gale. 7. aph. 56.

Raſis 7. cont. cap. 2.

cardialchia est ad vlcus via, attamen non necessariè exulcerat: quinimo (ratione huius symptomatis) non corrodit, & si quando corrosit, non omnino corrosisse, oportet, ne cesset dolor: per accidens tamen potest hæc noxa ventriculi esse cum vlcere: & si enim vlcus factum, Galeno iudice non dolet. 1. de caus. sympt. 7. attamen eodem teste, dolere potest, quando vel humor acer exasperat, vel phlegmon superuenit, quia tunc adhuc fit: & quemadmodum multus cum vlcere humor interdum conspirat, sicut in vlceribus videre est vesicæ, vteri, intestinorum: ita cum humore, qui anxium reddit ægrum, copia coniungitur in malignis morbis præsertim vulgaribus. His autem methodo constitutis, tria elucent apprimè vtilia: primum, est, errare eos, qui omnino cardialchiam cum anxitudine confundunt, cum tamen hæc non propriè dolor sit, sed molestior titillatio: ea verò mordens dolor, ita conuellens præsentem naturæ statum, vt in irrequieta, & inæquali iactatione, iocundi situs, pristini status inueniundi spes sita esse, videatur. Secundum est, rectè per eos agi, qui de anxitudine agentes nomini denominatiuum addunt: stomatica; vt partim symptoma ab eo distinguatur, quod spiritalium fit vitio: partim non de exquisito semper agi, constet, sed quouis stomatico, etiã hypocondriaco. Vltimum est, pro curatione anxitudinis spectandum non solùm affectũ, vt affectus est, sed quicquid complicatum cum eo sit, plenitudinem scilicet, vlcus, vomitum, fluorem quempiam; hæ siquidem excretiones remedio sunt: copia verò fouet, alia remedia postulans, vt dicam postea. Singultum autem in his febribus nescio an bis viderim, nec id mirum, quia cum hæc affectio aliàs vacuitatem, aliàs repletionem sequatur, pueri nec adeo per febres squallent, vt extabescens ventriculus singultum edat; nec purgamenta facilè sustinent, ad quæ pellenda expultricis vim non desiderant: singultus quidem ex causa frigida oriens familiaris est ætati huic, dicebat Galenus, quem sequutus est Aætius, & Auicennas, omnes edocti ab Aristot. 35. probl. 17. at nunc febris conuellentem hunc rigorem impedit. Singultus etiam ex corruptione cibi, quæ acescat. postea, eisdem authoribus, torquet pueros, sed pueri variolis laborantes, inchoante febre, non pauca plerique euomunt: hæcq; germana est, vt Galenus, Auicennasquè scribunt, singultus curatio: quando ex acribus succis, ex cibis corruptis fit: in progressu autem variolarum imminet singultus ex calore acri, & acri halitu: humoreque, vt ait princeps Arabum, violento; hoc est valde acri & veneno assimili ob acrimoniam, & hoc

Gal. 8. ca tato. cap. 3.

Gal. ibid. Auic. ca. de singultu.

dicit

dicit interpretans fortasſis ſententiam Galeni, qui humorem hic, à quo ſingultus fit, medicamentoſæ, quaſi venenatæ dicat; faculta- „ tis eſſe, ait, cui contraria eſt ſupinitas illa, quæ fit per humidita- „ tem multam quidem, non tamen malignæ qualitatis, acris videlicet, & æſtuoſæ cuiuſmodi erat illa, de qua 3. in 3. de morb. vulg. com. 14. à qua appetitum etiam corrumpi ſcribit, ſi os petat ipſius ventriculi: ſed quemadmodum ea tempeſtas ſingultum non vulgabat, cum eſſet auſtrina, pluuia, & laxans, ſic puerilis temperies dulci ſanguine & humore pinguis rarò vel talem humorem concipit, vel ex eodem ſingultum patitur, cum ad moleſtiam hanc contrahendam præter humorem acrem, aliaue reiectanea, quæ, vt ait Galenus, ſingultu expelluntur, neceſſaria ſit quædam cauſæ retruſio in ipſas tunicas: quod per magnas viſceris laxitates vomitum potius, vt in peſtilentia, & perpetuam nauſeam ferentes, fieri nequit: crediderim potius ab inteſtinis puſtulis laceſci ventriculum, & ſingultum pati, idquè etiam non frequenter: frequentius crura, teſtes, & venter tument: ſed è contra ſingultus per aluum fuſam leuatur magis, quàm ipſa inflatio: ſiue enim ex humore aliquo, ſiue ex flatu ſubcreſcat corpus, alui deiecto nimia nec flatum non auget, cum calorem, coctionemquè labefactet, nec omnes extrudit ſuccos, ſed qui ſunt à porta in ventrem proni, non qui à caua per vrinas exire, debent, quorum portio cum emanere per mictionem nequeat, vel quòd nimia vel quòd craſſior, extumeſcit, per ventrem fuſâ: de qua ſuo loco:

Gal. 8. ca tato. 3.
Gal. ibid.
Gal. 5. in 6. 3.

Nunc problemati ſatisfaciendum eſſet, cur timore ſingultus finiri, anxitudo augeri poſsit.

CVRATIO.

VBI DE VENÆ SECTIONE pro anxitudinis curatione agitur.



AB his autem curandis procul absit repulsio, nisi materia per accessiones concitata duret, viresq; frangat, quod mali patrat etiam, vt docet Gale. anxius animus non aliter, quàm vigiliæ perpetuæ. si iactatio à fumis venit, rosaceo quidem tueri licet ventriculum, aut mirteo, sed vnà etiam oportet venosum genus refrigerare, & ambitum totius fouere tepida; fricare item, vt acrimonia vaporum ab alto corpore per superficiem respiret insuper si à cerebro pituitam emandante ad ventriculum hæc perturbatio fit; irrequietem sedare est, partim citato vomitu, nam, ita scribit Hippo. quam artem Paulus Aætius & alij receperunt, partim autem intercepto humore, qui illabitur. intercipiens autem esto confectio Galenica ex capitibus albi papaueris, quæ hoc modo fiat.

Gal. 14. meth. 7. — *Hipp. li. dolo. in homine.*

℞. Mastiches.
S. Citoniorum.
Portulacæ.
Citri, & (vbi aliqua adsit inflatio.)
Feniculi.
} an. ʒ. j.

Adamaussim comminuta in rotulas redigantur saccaro dissoluto in ea decoctione: possumus etiam huic malo prospicere non solùm pituitam auertentes per narium purgamenta, sed etiam capitis intemperiem: (quod instituti huius non est;) corrigentes, anxitudinem autem ab acri humore ortam, quæ præsertim cum dolore est oris ventriculi, curare est operosius: inter hanc tamen & eam, quæ ex acri vapore fit, illud conuenit, quòd frigidis præsertim autem frigida mitigatur: est enim aqua igni, vt scribebat Galenus, contraria, & idcirco turbationis igneæ medela, si vel foris pro balneo, vel intus prudenter siuè simplex siuè hordeata exhibeatur: simplex tamen, vbi per essentiam ventriculus laborat, non exhibenda, cum vt aqua, nil boni habeat, vt frigida sit infesta ventriculo, potissimùm vel inflammatione, vel vlcere laboran-

Gal. 1. ac. 43.

laboranti : inteſtini plegmones vini vſum 1. ad Glauconem 14. frigidæ licentiam, balnei ingreſſum prohibent. 3. ac. com. vlt. vlceri autem cum ſit amica exſiccatio, humiditas proculdubio infeſta eſt. Non ſolùm autem in hoc caſu frigidæ hauſtus veneno eſt, ſed etiam, ſi quod repellens compeſcendi æſtus cauſa exhibeatur: hoc ſimiliter haud perpetuò tutum eſt, cum hæc affectio euacuatione magis ac reuulſione reprimi ſoleat, quàm meris repulſionibus. Gal. 7. catatopus cap. 3. ſubuerſiones ventriculi ab æſtu illatas ſanabat roſis viridibus, ſed nardum addebat indicam, ne repulſioni deeſſet vis veluti diſpergens æſtum, æſtuantesq; humores: qui nec thoraci parcentes poſtulauerunt, vt liquiritia (viridis, vt puto, ſicuti etiam roſæ) nardo roſisq; adderetur: emplaſtrum quinetiam illud Galeni celebratiſsimum in anxietate ventriculi nonne præter repellentia aliquid habet, quod digerat, vt farinam hordei, aloen, crocum? repulſa bilis non euomitur, cum tamen vomitus aduerſus hanc turbationem præſidio ſit ſingulari. vnde illud prorrheticum: quicunq;
„ ſe iactantes citra vomitum exacerbantur, male habent. eſt vomi-
„ tus via ad ſingultum, & anxitudinem, præſertim cohibitus, quod fit humore acri paulatim ſe ſe ingerente in altum viſcus: vapor enim febris angit æſtu: & ſi acrior accurrit, vomitum excitat, ſed inanem, cum vel humor abeſt, qui eijciatur, vel ſic hæret, vt fruſtrà ægroti nauſcent: rurſus vapor craſſus anxitudinem, vt dixi, obducit: ſed humor acer, craſſus, non multus, imbibitus tamen, cum vomi ob crasſitiem nequeat, ſingultire cogit, & veluti geſtire ventriculum, vt euomat, non conuulſus vt nerui, ſed dimotus leuiter ad os ſuperius. humor poſtea non valde acer, nec crasſior, non vſque adeo tamen intruſus, ſed intrans adhuc tunicas viſceris, anxitudinem, ſine morſu excitat, acrior & tenuior & penè exulcerans facit cordialgiam: eamq; adeò interdum grauem, vt mortem ferat prius, depresſis viribus, quàm ægrum agitet. eſt itaque vomitio ad anxitudinem, hæc verò ad ſingultum, vti magis intruſam mole-
„ ſtiam, via: & è contrario ſingultus eſt quaſi motus ad vomitum *Auicen.*
„ debilis: ad vomitum idcirco vti ad leuationem & ſalutem tendens: quia, vt idem dicit, eſt motus præparatus ad viam fortis expulſionis, hoc eſt vomitus, qui quoad impetum eſt validior, quo ad morem lædentis & penetrantis cauſæ eſt mitior ſingultu: cum igitur anxius hic motus tametſi crasſitie humoris, & ſingultientis moleſtia irretitus, in vomitum contendat tamen, quis, in febre præſertim à bile orta, bilis hunc impetum non eſſe tantiſper ſuſtinendum

reclamet, donec aliqua eius per vomitum expurgatio fiat? alioquin ventriculi non febris curatio isthæc est, quia reprimere vomitum & dicta symptomata est naturæ iudicium impedire, quæ vomitu intimos expurgat focos & in febre & in veneno, cui assimilem dixi humorem, qui ventriculum & corpus agitat: & in hoc quidem natura prudens vomitionem quam primùm ciet. in febribus etiam eandem promouet per accessiones: idq; vel in ipso initio, si materiæ vel prauitas vel copia, vel vt in hoc casu, vtraq; stimulet: & si Auicennas consulit, in singultu curationis initia à vomitu petenda esse, quod præsertim ex vsu est, cum ex cruditatibus & succis malis ibi genitis molestia isthæc oritur, multò magis cum febris & febris vel vrens vel praua satis intus exardet, vacuationem istam tentare, expedit, priusquam repulsioni arsse accingat, idq; potissimùm, cum plenitudo, & cachochymia sat grandis adest: si ergo febrem vnà cum his affectibus anxietate inquam, singultuq; curare est studium; roborare & munire quidem opus est locum, sed tamen simul etiam refrigerare, extergere, reuellere, euacuare. euacuatio commune est remedium omnis medelam flagitantis symptómatis, quod ex plenitudine aliqua ortum sit: item repulsio, cum illud incipit. extenuatio autem in omni dolore à materia nato pro vsu est; nisi vel vlceris formido, vel fusus sanguis, venterq; obstent. in doloribus iliacis, in cholicis, in nephriticis, in istericis, & in his, qui caput fatigant, in doloribus tandem ventriculi, vel à bile illatis, extenuantia acidaq; non improbantur. sed aliquo mitigata stomatico, quale est absynthium: reuulsio etiam ipsa mirificè est commoda ad superiora in fluxu alui, in anxitudine verò & singultu ad inferiora, quod non modò calidæ perfusio præstat, sed nexus, fricatio, cucurbitulæ, non ventriculi admotæ loco, vt cum vomitio profusa profundit vires, sed imo ventri, & coxis primùm, atq; malleolis, quibus etiam admoueri ad retractionem rhesina potest. euacuatio autem vel sensui explorata, vel obscura est: hæcq; ipsa est tripartita. prima fit cibo, sed magis potu, tanquam eo, qui celerrimè pene-
" trans, opportunè & partem corroborat, & hostem repellit, famem
" thorexis soluit. dicebat Hippocrates 2. aph. 21. & ipse generosi vini vel olfactu solo vidi sæpè anxios non mediocriter adiutos fuisse: tametsi tutior est medela, si aquam vino admisceas: quod &
Hipp. 2. epid. sect. 6. " sentire videtur senex scribens. in anxietate horrore, oscitatione da-
" to vinum pari aquæ mensura admixta: quod, vt multa alia, eorum præcipuè librorum in aphoristicam legem relatum est. 6. aphor. 56.

de qua paulò post. Secunda euaçuatio insensilis sternuationis vi comparatur. 6. aphor. co. 13. Aristo. 35. probl. 17. quod & Celsus & Auice. & alij docuerunt: sternutatio motus est quasi plantæ à summo per ventos concussæ: quæ vis non modò partum adiuuat. 5. aph. 35. sed vel fœtum quandoq; abigit, authore Plinio, nedũ singultum: sed hæc remedia ad altè infixam causam videntur inualida, ne siquidem cataplasmata ventriculo apponas, quæ non minus laxent, quàm roborent, vt ex absinthio meliloto, farina orobi, nitro, & id genus, non sine rosato & masticino: itaq; addamus tertium, quod fit per medicinas, quarum hæ propriè extenuant, vt oximel, & acetum scillinum, aliæ dissoluunt, vt castoreum laudatum à Gale. 8. de compos. med. secundum locos cap. 3. & 5. aliæ præstant vtrunquè, vt castoreum aceto exceptum. Dioscorides lib. 2. cap. 23. Plinius lib. 22. cap. 3. Rasis lib. 5. contin. cap. 1. Aætius castoreo cum posca vtitur. Auicennas proprietatem, inquit, habet mirabilem: sed vbi febris vrit, cum frigidis misceatur: nam & Galenus ab huiuscemodi medicamentis mirrham aufert, cum acuta infestat febris: igitur pro infante variolis laborante.

Plin. lib. 7. cap. 6.

Gal. 8. ca tato. cap. 3.

℞. Pulueris castorei.
Nitri. } an. ℈. s. vel g. v.
Detur cum lacte & aqua endiuiæ.

Quòd si anxitudo angat, nitro solo vtendum est cum succo absinthij cicoreæ, & aqua hordei, vt

℞. Aquæ hordei. vnc. j.
Succi absinthij. ℥. s.
Succi cicoreæ. ℥. ij.
Nitri p̃p̃. ℈. s. vel g. v.
Misce. capiat cum lacte.

Vel huiusmodi medicamenta nutrici dentur, eaq; huic pariter, & infanti calida: nam calidum dolores lenit, quia molestam causam conficit, dispergitquè. Hæc de imperciptibili euacuatione: cui manifestam præire, oportet. Hæc verò missione sanguinis, purgatione, mictus, sudoris, aliarumq; euacuationum prouocatione absoluitur: primùm vomitu: quem oleo cheirino citare optimũ est, cum hoc oleũ etiam sedet molestiam. hæmorrhoidum pariter & mensium reuocatio tuta est, si cui suppressa sit. De sectione autẽ venæ dubito: hac leuari anxitudinem constat ab æstu ortam: item singultum Auic. cum venæ sectio & euacuet, & reuellat, & quod necesse omnino est, etiam refrigeret: nam Hippocrates non alia de causa vi-

Hipp. 7. aph. 56.

ſa vinum æqua portione aquæ mixtum anxijs exhibet, Galeno in-terprete, quàm vt tantum materiæ moleſtæ propellatur, vacueturquè, quantum violentæ vini delationi eſt ceſſurum, reliquum, verò temperetur epichraſi: videtur igitur miſsio ſanguinis admittenda, cum præſertim hoc ipſum Galenus doceat 8. catatopus cap. 4. de egregia ventriculi diſtenſione. è contra autem Gale 2. ad Glauconem cap. 14. ſecari venam prohibet, quotieſcunquè ventriculus, præſertim verò illius os læditur. dicendum venæ inciſionem dicta de cauſa eſſe aptum remedium: quod vniuersè confirmat Galenus ſcribens: ſectionem venæ vſui eſſe in ardentiſsimis febribus, in maximis doloribus, & inflammationibus: doloris enim ſpeciem conſtat eſſe anxitudinem, cum per eam æger ſitus impatiens nouum quæritet, quaſi priore læſus: eſt cum hoc ſymptomate vrens ple-

Hippo. 1. progn. runquè febris: cum anxij, vt Hippocrates obſeruauit, nudos pedes habeant, nec eos calidos, quin frigidos, cum potiſsimum in iecore inflammatio exardet, quæ ad intima reuocato calore ac æſtu, vt ſingultum reſpiratione acri, ſic irrequietem hanc & anxium errorem ferat, eò etiam vibrata interdum bile: his igitur nominibus recipi hoc auxilium debet, ſi non eius curandi cauſa, quod iam ventriculo in hæſit, cauendi ſaltem nec id Gale. vt illius authoritati ſatisfiat, prohibet, ſed lege illa cautum voluit, ne cum affectus vel eſt firmatus vel durat in ore ventriculi, cuius iniuria labaſſant vires, ne, inquam, tunc ſecetur vena; ſed eo roborato prius, hoc eſt ad priſtinam ſalutem redacto, quo ſenſu etiam roborare Gale. audiri vult in eo grammatico epileptico, cui ſanato ſe ſe os ventriculi roboraſſe ſcribit: At nos, cum anxietas præteritæ acceſsionis deſijt, prouiſionis ergo tundimus venam: prius item ne redeat moleſtia, munito vētriculo, hoc eſt illito his, quæ corroborant: quo ſenſu idem author ſæpè hoc verbo vtitur: cui operi ea etiam ne deſit prudentia, vt non mittamus ſanguinem: vbi ſanguis bilioſus eſt acer adeò & ſiccus, qualis in bile ferruginoſa, & æruginoſa eſt; vel porracea in iecore per vſtionem genita: tunc enim metus eſt, ne intemperanter acrimonia ſæuiat, vbi ſit eductum, quod temperabat. huiuſmodi autem bilis ſpecies vrinæ ſic venoſi iudices generis, vt lingua ventrium, indicant, indicant & colores linguæ, ſectioni autem euacuatio per medicamenta ſuccedat: ſingultum & anxietatem, quæ obturbat ſanis, curare ſoleo melle roſato laxante & lenitiuo, vel hoc cum hieræ ſpeciebus, & modico tartari, vel diaphinici: de hoc enim ni fal-

1. De hu- „ lor, ſingultu loquens Galenus ait. Quæ ex inanitione oriuntur,

inſabiles

„ insanabiles sunt. quos excitauit repletio, ij ab incidentibus ab- mo. co.
„ stergentibusquè ea, quæ impacta sunt, medicamentis curantur, 14.4.ac.
„ quam curationem 8. catatopus cap. 3. generatim tradit humidi- 69.
„ tatis altæ, crassæ, ac viscidæ. Sed Trallianus alijquè distinguunt, vt in crasso humore acetum, oximel (quibus addere oportet absinthium) oximel pariter scillinum exhibeant, quod & proprio quodammodo Trallianus conficit: & si enim dictum est, materiam singultus esse crassam in respectu eius, à qua fit anxitudo, attamen & ipsa plus minus tenuis, & densa est, atque calida, cum febre vel sine febre: huius æstu iactante, anxijs & singultientibus frigidiora exhibenda sunt, vt acetosus simplex, syrupus ex succo cicoreæ, ex succo citri, non sine aliquibus magis extenuantibus quamquàm calidis, vt syrupo ex fumaria, ex menta, melle rosato, ex citri cortice: sed modicis, ne febrem augeant. Ergo in puerulis variola fœdatis pro anxietate ac singultu, quem & ab at acribus respirationibus infecti sanguinis & à colluuie bilis ac pituitæ amarescentis inferri, constat, vtendum censeo pulpa dactilorum & sebesten tamarindorumue, cum modico nitro, & albo tartaro. quod si ingratum videri posit, potioni esto, vt si pro septenni summas.

Sebesten.	nu.	vij.	
Tamarindorum.	ʒ.	iij.	s.
Aquæ hordei.	vnc.	vij.	

Coquantur ad dimidiam: in eandemquè optimè expurgatam infunde per xij. horas.

Nitri pp.	℈.	iij.	s.	
Tartari albi.	℈.	ij.	s. g.	v.

Cum autem infusionem expresseris, percolaueris, adduntur infusio rosarum laxans & portio saccari: hæc pro arbitrio: ea verò ad semiunciam. hoc præsidio aut vomitum aut aluum citaueris: eodem lumbricos bilem pituitam, acres halitus represseris, deterso simul ac munito ventriculo. vtor etiam post syrupos non inutiliter rhapontici vel rhabarbari infuso vel in serum lactis, vel in aquam hordei, addito, pro singultus mitigatione, maluarum & mentæ succo: vt laxatus simul & anodyna quadam mentæ vi adiutus locus causam altè fixam excutiat. His factis ad localia venire licet: quorum scopus est dilatare, & adstringere, temperare extenuare, dissipare, plus minus calidis pro humoris diuersitate, & huic etiam loco accommodari possunt, quæ de tri-

plicis

plicis fomenti illius Hippocratici vſu ac viribus pro dolore lateris iam dicta ſunt: indicatio tantùm euariat, quæ à parte affecta ſumitur, remedia dictans, quæ vnà ſedem læſam corroborent, vt ſi plegmon ſubeſt, tepidè fotus admoueatur, in qua roſarum vel ſandalorum aliquid ebullierit, milium & ſal fricta, vbi tenui humore ventriculus angitur: acida verò & extenuantia, vbi craſsior pituita mater eſt mali. poſſunt etiam variæ illitiones parari pro varia conditione horum ſymptomatum: ſi à cauſa craſſa, & vel ſine febre, vel certè leui.

℞. Olei maſticini. } an. vnc. ſ.
De menta.
Roſati.
Contriti ſalis. ℨ. j.
Croci. } an. ℈. ſ.
Aloes.

Cera acetoq; excipiantur. vel

℞. Mentraſtri. } an. m. j.
Parietariæ.
Florum taſsi verbaſci.
Lambruſcæ.

Coquantur in aqua & vino, deinde expreſſa & contuſa ad cataplaſmatis formam redige hiſce adiectis pulueribus.

℞. Farinæ hordei. } an. pug. ſ.
Fabarum.
Pulueris ariſtolochiæ. } an. ℨ. iij.
Maſtiches.
Aloes. } an. vnc. j. ſ.
Caſtorij.
Aceti roſati. q. ſ.

Fiat cataplaſma.

Cui aſsimile illud eſt, quo etiam vtor ad ſcirrhoſas meſſenterij obſtructiones exterendas.

℞. Mentæ. } an. m. j.
Meliloti.
Roſarum rubearum.
Maluæ.

Ebulliant in vino & aceto albo: non ſine aqua: expreſſa dein contunde, addens.

Farinæ

Farinæ s. lini. p. sem.
Farinæ hordei. p. j.
Mastiches. vnc. s.
Nitri. } an. ʒ. iij.
Ammoniaci.

Olei rosati quod satis est pro emplastro:

Nitrum quippe extenuat, ammoniacum verò emollit, vnde vbiq; à Dioscoride, Galeno, Rasi, Auicenna & alijs ad dura accipitur: quare siquid in singultu & anxitudine subest melancolici vel duri, & tensi, crassi, & difficilis, egregiè mitigatur illius vsu: sed ab his ad minus calida & attenuantia declinare oportet, si causa sit acrior & calidior: præsertim in cardiogmo per consensum facto: vt.

℞. Olei rosati. vnc. j.
Cheirini. } an. vnc. s.
Masticini.

Aquæ & aceti parum: misce pro fomento, & si vlcus imminet aut syncope.

℞. Succi citoniorum. } an. vnc. j.
Aut rosarum.
Semperuiui.
Mentæ.
Vini albi. } an. vnc. s.
Aceti.
Camphoræ. ʒ. j.
Croci. ʒ. s.

Misce pro fotu oris ventriculi, vel

℞. Portulacæ. } an. m. j.
Semperuiui.
Mentæ. m. j.
Absinthij. m. s.

Bulliant in aceto rosato: deinde contusa ad cataplasmatis modum formentur, iniectis farina amyli, hordei, rosato, aceto, & sapa: sed in puerili ætate à valde frigidis abstinendum est. moderatius autem istud erit.

Accipe panis contriti libram, bulliat in aceto rosato & lacte ad spisſitudinem: postea.

℞. Pulueris s. sumach. } an. vn. i.
Coriandorum.
Farinæ lupinorum.

Luteorum

Luteorum oui. nu. iij.
Aceti & sapæ. q. s.
Fac cataplasma : vel
℞. Olei neufarini. vnc. j. s.
Croci. g. iij.
Aceti albi rosati. ʒ. vj.
Misce pro stomacho.

Sed quia hæc adeò frigidida impingunt, interim reuulsionibus, & euacuationibus maximè per aluum vrinasq; studendum est: in singultu enim Galenus 8. catatopus cap. 3. & post illum alij medici mictum prouocant, vt asaro, apio, petroselino, & similibus, quibus vti licet etiam in anxitudine siue à stomacho, siue à pulmonibus oriunda sit: cum enim pulmo non solùm à capite sed ab alijs etiam partibus recipiat 2. de præsagijs ex pulsu cap. 1. 4. de lo. aff. 8. & 1. in 1. de morb. vulg. co. 17. & 3. in 3. co. 32. & in aphorismis, per easdem etiam, vt per iecur mictuiquè addictos meatus expurgari potest. si hic labor incassum est, ad opiata, & stupefacientia Galenus, Auicennas alijq; pro singultu sedando confugiunt: tanti est symptoma, quod adflictat secundum hoc cor, ventriculum, vt remedia etiam ab eis, si vnguam, & anxiè & enixè conquirantur; tu ea lege: His autem si non cõcedat torsio, quin calorem ad intima trahat, rubrificantibus reuocetur ad superficiem, sed illis leuibus mitigatisq;, qua in classe est flammula brionia, staphisagria, thapsia, semina synapis, nasturtium, & sandaraca: stercus columbinum calcantum calx nimis sunt fortia: sed tot tantisquè non opus est, si lumbrici singultum & anxietatem vel cardialgiam ferant.

De diarrhea, & inflatione.

De alui. profluuis in infanti bus vide Aætium lib. 4. ca. 19. Auic. ca. de inflat.



RAESTANT sibi mutuam operam hæc symptomata: nam vt in hydrope aqua in ventrem defluente, morbi solutio 6. aphor. 14. sic inflatio alui fluorem quandoq; finit: & quæ inflationem resoluunt, aluos restringunt Hippocrati. inflatio propriè à flatu est. 14. methodi. 7. qui, vt ait Auice. exitum non habet, quæ & causa est cur dolorem persæpè ferat: sed quia humorflatum quandoquè fouet, ideo per manifestam illius eductionem inflatio cessare potest: & sicut ille varius admodum esse potest, sic & inflationis curatio alia

melancolicam tensionem tractat, vt in liene, de qua Trallianus li. 8. cap. 10. aliam pituitosam, vt in ventriculo: aliam biliosam vel mixtam vt in iecore & hypocondrijs. de iecoris inflatione agit Rasis lib. 7. contin. cap. 2. & Auic. in proprio capite, & Galenus si recte memini. 5. de lo. aff. cap. 7. de ea vero, quæ fit ex hypocondrijs, institutio hæc nostra erit: in qua cum flatu multum humoris adest, non planè aquei, vt in ascite, neq; tamen crassioris, vt in abscessibus pręcipuè duriusculis: adeo vt hic affectus, nec hoc, nec illud fit: sicuti etiam non est anasarca, non tympanitis: cum nec flatus à ventriculi regione inchoet, nec tumor ab extremis cruribus, sed à ventre imo: Quid? hydrops nullo modo est, at hydropi tumor assimilis, minor tamen: vt patet sensui: est similis hydropi, quia vt hydrops, sic inflatio in acuto morbo mala est 2. prognost. tex. 1. non sedans febrem, laboriosa; hydrops plerumq; sensim fit, vt videmus: inflatio item hæc puerilis, quin omnis pro sententia Gale. inflatio ab eo fit humore, qui excalfit paulatim: vtraq; demum non sine extenuatione vel sanari, vel remitti, potest roborationeq; caloris insiti: cum hæc pariter & illa à calore imbecillo fiant, vti etiam flatus: ita igitur inter vtramq; conuenit: differunt postea: quia ad veram hydropem maior quædã caloris labes: ad hanc calor quidã vegetus quæritur, vt flatus, & cum eo humor pauculo tempore in tumorem surgat: huiusmodi autem est, qui vt pulchrè scribit Rasis, est mediocris: nam inualidior, vt teste philosopho, etiam se res de vento & sole habet, non insurgit, non mouet, vel certè non fundit spiritum: validior autẽ flatum absumit. hæc què ipsa præter voracitatẽ est causa, cur pueri ægrotantes adeo interdum tendantur ventre, vt à mulierculis veluti hydropici deplorentur: id quod maximè visitur in variolis, & malignis febribus, in quibus densata ob vstionem bilis ac pituita & sibimet præclaudens exitum crassitudine est in caussa, vt flatus ipsi etiam per diuriusculam & squallidam cutem non respirantes, sed remeantes vel inflent, vel premant septum transuersum. à tensione igitur hac proposita fortis quidem calor non abest, vti etiam Galeno authore, in ipsis vermibus, quod etiam ea ratione firmari potest, quia cum tumor hic hypocondriorum sit partus malignæ & satis æstuosæ febris, hæc verò non nisi calidos vel pueros vel homines accendat, tensionem etiam hanc ab eadem caloris vi surgere, necesse est: ex his autem & illud sequitur, veram hydropem vel iecur primariò, vel non eo grauiter læso, aut totum aut aliam non pauci momenti partem, vt ventriculum, pulmones, vterum, graui ali-

iecoris. Ras. 7. cont. c. 1.

Gale. 14. meth. 17.

ui aliqua intemperie quotidie labefactatum iri significat, cum hic tumor per explosionem quandam Galeno non improbatam fiat, in qua seipsam natura à copia humoris crudi iecur onerantis exonerat, nullum, vt hæc etiam addatur ratio, cachexiæ signum præmandans non alborem cum virore, non pedes tumidos, nisi cum per hanc ipsam expulsionem ipse etiam iam venter tumet: hæc tamen veræ hydropi præeunt, præsertim à mero hepatis languore ortæ. ne igitur quis hanc hydropem nisi falsò appellauerit: & si de flatus ortu loquendum est, non hic ex ventriculi, vel vt Auicen. addit, iecoris infirmitate; sed ex ebullitione spirituq; ichorum & humoris surgit, qui post effusas variolas, post vomitus, post etiam quandoq; solutam aluum crassior, vt aliàs etiam solet, post tenuiores relinqui, crassior, inquam, suo in genere, halituosusq; perseuerat. ita dissidet hæc intensio generatim à vera hydrope: nec minus ab ea distat, quæ acutum morbum consequitur: eius nempe sedes Galeno ieiunum est, lactes & intestina tenuia: huius verò inflationis locus est non hic duntaxat, sed spatium, quod inter peritonæum & partes illi subiectas interiacet, cum hæc ipsa non minus humore à iecore per gibbam eum in locum fluente fiat, quàm eam ipsam sedem replens ascitis, vnde & pueris tumentibus tument testiculi, qui maiorem, vt agnouit Galenus, cum gibba, quàm cum sima iecoris parte societatem habent. in pueris præterea ac variolis nec humor est ita crassefactus, nec adeo stipatæ viæ, vt in acuto morbo, qui veram hydropem obducit. in hoc enim interdum quidem inflammans subest, & obturans phlegmon, vel simi vel gibbi iecoris, semper autem venarum ardor ex putredine, quæ in eis per iugem febrem quotidie magis atq; magis exardens efferataquè sanguinem, crassefacit quo æstu gibbas magis, & hac de causa superas, quàm concauas & imas ventris partes affici, necesse est: quod in pueris & variolis non vsu venire solet: in quibus nec frequenter iecoris inflammationem concrescere, nec tantam in venis vredinem conflagrare, papularum effusio patitur, quanta quæritur, vt in tenuia tantum intestina, ieiunum, & lactes abscessio crudi crassiq; humoris fiat: hoc autem ipsa etiam per aluum reiecta indicant, quæ vt σκύβαλα apud Gale. monstrant, in inflammatione ac maiore æstu minutiora, & magis restricta sunt; nam caloris est primùm fundere, deinde exurendo cogere: huic autem veritati & puerilis assentitur voracitas, quæ non modò ad simas, sed etiam ad concauas visceris partes crudo humore turgens impleri & tendi superiora tantùm

Gal. 5. de lo. aff. ca. de aff. hepatis.

Gale. 2. progn. 1.

Gal. 5. de lo. aff. 7.

Gale. 4. acut. 17.

non

non patitur. Differunt etiam penes modũ originis: & si enim nec inflare flatus, vt docuit Auice. nec tendere humor potest, nisi vel ob multitudinem, vel præ obturatione meatuum hæreſcat diu; attamen hydropis ſegnior, inflationis concitatior eſt generatio, vnde & facilius hæc curatur, illa vel nunquam, vel ægrius, vti etiam apud Hippocratem diuturna pituita, & diutina mala, quæ ſcilicet longinquitate magna temporis orta ſint: citò quidem obturbare ſymptomata vigoris propria, pro Galeni ſententia malum eſt, ſi præſertim grauiora ſint, morbos celeriter coagmentari in parte nobili, exitio eſt, humor epilepſiam repente faciens, vti perditus, malignior, inſidijs plenus, & truculentus à Gale. comparatur feræ: non tam quia vel craſsitudine obturans, vel, quod deterius videtur, acrimonia conuellens totum concutiat: quàm quòd primariam ſedem, ignobiliorum veſtibulis & atrijs intactis, improuiſò aggreditur, ignobilibus autem, quæ nobiliorum fæces naturâ excipiunt, ſtatim oriri affectiones, præſertim, quæ ſolent eſſe diuturnæ, eligibilius eſt, quàm diu ſuccreſcere. illud enim expeditæ eſt expulſionis, hoc autem tardæ ſignificatio: iam ergo nec valdè celer eſt, nec tarda inflationis huiuſcæ concretio, proinde non funeſta, vt hydrops, phlegmon ſtatim iecur inflammans, ſed mediocriter; ibi enim immanens crudus humor & bilioſus eneruat calorem ingenitum: vnde multi flatus aggregatio reciprocat, humorem ita accerſens, vt hic flatum & reſpirat, & veluti conuocat; in ſuperficiem cum illo tendens: vti etiam videre eſt in cadaueribus: quæ redeuntibus, vt ait Diuinus Hippocra. in ſuam quouis regionem ſubſtantijs, & elementis, tument: de quo tumore Gale. 2. ad Glauconem cap. 3. & quò acrior, acutior, venenatiorq; eſt & humor & febris, & alienus calor, qui vel cadauer ſemicalens, vel ægrum agit, eò etiam & flatus acerbiores ſunt, & inflatio acceleratior. Deniq; hoc ipſum probant egeſtiones, quæ in pueris viſcuntur ſic tenſis ventre, vel albeſcentes liquidæ, corruptæ, rarò aqueæ ſæpius ſpumoſæ, ſubſanioſæ, vel cum albore, ſubbileſcentes, & pluſculum corporatæ: quæ in hydrope crudiores videri ſolent, præſertim aſcite: ſed dicet aliquis iuuenis eruditus: quænam tandem iſthæc affectio ventris eſt, ſi nec ſpecie purgamentorum, nec ortus modo, nec ſede nec cauſa vera eſt hydrops? Dicendum, eſſe ventroſitatem & affectionem hydropicam, quæ etſi non verè eſt ac propriè hydrops, attamen premit; vt Hippocrates loqui ſolet, modo hydropico: flatu tympanitica, humore hydropica: non aliter quàm ſingultum Galenus conuulſionis ſpeciem

Auic. ca. de inflat. iecoris.

Hipp. lib. de inter. affect.

Gal. 1. de

humo.co. 18. 1. in 1. prorrh. 23. ciem præſeferre ait, at non eſſe conuulſionem: & huiuſmodi affectiones, quæ ita nominari ſolent, vel ſunt aliarum primordia, vt turbatio ophtalmiæ, de qua. 5. in 6. 3. cachexia hydropis, vel illis aſsimiles, aut penes genus, aut quoad ſpeciem: primo modo anxietas doloris naturam ſapit: ſecundus autem eſt bipartitus: vel enim ſimilitudo eſt ratione vehementiæ, ſicut vomitus voluuoſi à Galeno & Aætio dicuntur, obſtructiones & affectus ſcirrhoſi à Galeno, affectus conuulſiui: vel quia ſpeciem participat ſeu propriè, ſeu impropriè: impropriè, vt cum ſingultus dicitur. 1. in lib. de humor. commentario com. 18. dicitur inquam, non conuulſio, cum deſit propria partis affectæ ratio, muſculi nempè aut nerui ad originem ſuam retractio, ſed vitioſa quædam expellentis facultatis motio, quæ conuulſionis præſefert ſpeciem, hoc eſt doloris magni & conuellentis. propriè autem vna affectio ab altera denominari ſolet, cum vel typi eius eſt particeps, vt conuulſio, quæ a Galeno dicitur affectio doloris plena; vel alia ratione ſpeciem dicitur continere, ſiue vt ſymptoma, & ſignum, ſiue ratione cauſæ materialis, in qua conueniunt, quomodo obſtructiones, vt dixi, propriè ſcirrhoſæ ſunt, quando ſcilicet ex materia vel melancolica vel certè concreta fiunt; pariter lepra, cancer, quartana melancolica humoris ſoboles à Gal. affectiones dicũtur pariter melancolicæ 7. aphor. 40. & alibi: hac ratione inflatio hæc puerilis hydropicum quoddam malum vocari poteſt, nec minus ratione affectæ ſedis, ratione cauſæ, præſertim flatus, qui aliquando ad ſeptum ſurgit, ſpiritum reddens difficilem, frequentius autem humilius oberrans infimum ventrẽ tumefacit: non aliter, quàm in febribus interdum cum fuligo putrida intermittit aſcendere ad cor, & cor accendere, pro febre ſolet dolorem quendam excitare in imis partibus: ſuboritur autem id mali præcipuè in ijs pueris, in quibus vel ob nimium ſanguinis fluorem ex naribus calor ſubmarcuit, vel copia & cacochymia parcè ad cutem fuſa ſenſim iecoris & venarum calorem ſanguinemq; tumefecit: inflatio hæc ſemi hydropica vel à iecore ipſo inchoat, ventriculo conſpirante, vel in hoc membro, ſicui ſit imbecillior, ex potu præſertim multo & eo frigidæ, concipitur, ipſo iecore coeunte: vbi & variolarum originem principiò collocaui: ibi eſt ichor, & bilis ichoroides. ibidem phlegma acrius, concluſus calor, vnde ſiquando, certè per id mali ſunt in hepate aqua & ampullæ, quas & refert Raſis, ea fortaſsis repetens, quæ cum Platone de ampulloſo phlegmate dicta ſunt. Id verò fit quando materiei, non

Aætius lib. 9. cap. 10. Gale. 14. meth. 9.

vſque

vſque adeo fuſæ in variolas adhuc reliqua eſt pars non modica, & illa craſsior, quæ quotidie feruens & craſceſcens ob æſtum foci inprimis quidem membri ſuperficiem, vt Galeno teſte, in ambuſtis fit, bulloſam reddit, deinde ſenſim vt viſcus totum, & ventres inflat.

Curatio.



RAVE eſt malum inflatio & corpori & animo: quia homines turpiter inflati, vt ait Cicero, irridentur ideo ſine mora debet compeſci. Si venter intenditur ſine fluore alui, curatio eſt euacuatio & flatus, & coniuncti humoris: per aluum, ſi eò vergat inflatio, per vrinas, ſi ad ſpiritalia, quamquàm, vt in ſingultu, ſic in hac affectione vtriſq; partibus proſpicere artis eſt, ob arctam earum affinitatem; qua fit, vt incipiens à thorace difficultas anhelitus ventrem inflet, & hic viciſsim anhela faciat & mucida ſpiritalia, vnde Galenus eſt alij, tum in ſingultu, tum in hoc malo ea permiſcent, quæ pectus extergunt, & dilatant, vt ariſtolochiam, calamintham, cocleas, & id genus: Et quia principiò dictum eſt, in hac opera medicamentis opus eſſe multi vſus, ad operis finem eadem proſequar. Ergo, ſuppoſita lenitione alui, & præparatione ichoris & humoris craſsi, agaricus, rhabarbarum, nitrum magno eſt vſui, ſicut etiam diaſpoliticum Galeni: quod ex nitro, ruta, pipere, cumino, & melle fit. Sed cum febris inflat effatu digna, ommittendum eſt, vti etiam rhabarbarum: Hippocrates in vera hydrope bilem non tangi iubet, pharmacis, idquè non ſuppoſita bilioſa iſta putridaq; colluuie: rhabarbarum etiam exibetur, vt roborans, & reſerans medicina: polypodium etiam conuenit, vbi viſcera nigro humore abundent: ſed radix ireos & ſoldanella extollitur, turgente aqua; & ſi puer noſcat remedia ſumere, medicamenti forma ſit pillularis, vt diutius manere, & trahere lentam hanc copiam poſſit: & quia malum quandoquè protrahitur; certis interuallis euacuatio repetatur in puero nouem annos nato acceptis nitro, aloe, vel rhabarbaro electo, agarico trociſcato, & polypodio pro ſingulo ad ℈. j. quæ cum ſucco endiuiæ in globulos referantur: ſi ichor abundet magis, accipere oportet. *Hipp. lib. de affect.*

Rad. ireos.
Soldanellæ. } an. ℈. j.
Rhabar. el.

Huc pro adultis reuocari poteſt vſus pillularum, ex fumaria

Auicennæ, vbi ſalſus redundet humor, ex cupatorio maiores deſcriptione Meſuæ: ſed hæ acriores ſunt: pillulæ aureæ ſatis commodè ventrem laxant, & pillulæ aggregatiuæ ad diuturnas febres commendatæ, nec interdum ab re eſt vti pillulis de lapide lazuli, quando in magna humoris atri abundantia & ſplen afficitur: ſed cum vehemens adhuc inurit calor, ſatius eſt vti ſyrupis ſoluentibus, vt qui ex polypodio fit, item qui ex epithymo, ſyrupus etiam ex cicorea Nicoli cum rhabarbaro poteſt exhiberi puerulis ad vnc. j. grandiuſculis ad vnc. j. s. ſeptennibus vnc. iij. nam medicina eſt leuis, ſimul vrinam prouocans, ſicuti etiam ſyrupus acetoſus hoc modo factus, tam pro pectore, quam pro iecore & naturalibus.

℞. Lentium, quæ & ſtomacho accommodantur à Galeno.
Hordei. p. j.
Coclearum expurgatarum, nam & ſtomacho, non ſolum.
Thoraci, teſte Galeno, conueniunt. nume. xij.
Rad. acori, laudati à Dioſcoride & Raſi.
Aſſari.
Apij. an. ʒ. j.
Sem. Aniſorum. / Carui. / Ammeos. } an. ʒ. s.
Rad. Enulæ. ʒ. iij.
Braſſiccæ petreæ. / Pulegij. / Cumini. } ſylueſtrium. / Cetrah. } an. parum.
Sebeſten. nu. xx.
Liquiritiæ raſæ. vnc. s.
Rad. Endiuiæ. / Cicorij. } an. nu. iij.
S. Melonum. vnc. iij.
Florum cordialium. m. s.
Aceti albi, & ſaccari optimi. q. s.
Fiat ſyrupus. S. A.

Doſis eſt in infantibus ſemiuncia cum lacte. in triennibus vncia. in ſeptennibus vncia cum dimidia, vltra hanc ætatem vnc. ij. cum modico decoctionis graminis, acetoſæ, petroſelini, vt humores & extenuentur, & temperentur, & mictu exeant vnà cum flatibus: quo conſilio vti etiam eſt vocatis trociſcis, vel pillulis paratis, vt

℞. Ni-

℞. Nitri.
Ammoniaci.
Feniculi.
Rosarum rubearum.
S. Endiuiæ.
an. ℥. s.

Cum succo cicoreæ formentur pillulæ. xv. pro v. vicibus in aurora, superbibendo parum iusculi iam præscripti. Quòd si lien malè habeat, trocisci exhibeantur de cappare ad ℥. j. pro liene & iecore trochisci de eupatorio & de lacca. an. ℥. s. quibus sumptis, apozyma esto, decoctum hordei, violarum, rosarum, hepaticæ, cicoreæ, feniculi, deniq; ius galli, sed non adeò senis pro puero, ex vsu est, si gallum aperientibus diureticis, nitrosisq;, vti etiam ipse est, impleas: nitrosa scilicet extenuantia, sed frigidis temperata, hæc sunt deniq;, quibus recta variolarum & symptomatum etiam non paucorum curatio continetur: gallum igitur eisdem roborare artis est, vt præter capillum veneris, cuscuta, cetrach, agrimonio, brassica & ruta syluestri modica, quæ flatus discutiunt, ad inflationesquè laudantur, & si humor plurimus, vt in quibusdam adultis fit, latitat melancolicus, addere oportet ammoniacum, lutum iudaicum, passulas, liquiritam, buglossum, lupulos, fumariamue, sed multa cum frigidorum copia, vt cicorij, acetosæ, sem. quatuor frigidorum, quæsi febris reprimendæ consilium præualet, calida superent: sin è contra, illis concedant: sed ab his pueri quandoquè abhorrent: idcirco pro decocto stillatitius liquor sumatur vel dictæ decoctionis, vel alius ad eandem intentionem, vt si capias aquarum cicorij.
Hepaticæ.
Agrimoniæ.
Feniculi.
an. quantum videtur per ætate.

Hæc si non fluat venter. si fatigat fluor, & ille decreterius; nil vltra tentandum est. si merè symptomaticus, & laboriosus, vel certè inutilis, ars ne acquiescat. sed distinguere incipiat, sit ne aquosus, sit ne
„ acer, sit ne crassior. Si aquosus, origo primùm amouenda: madens *Gale. 2.*
„ enim fit deiectio, propterea quòd non fuerit ex ventriculo deductio *progn.*
„ ad iecur, vel quia de iecore aut liene aliquid defluxerit in eũ: sed fie *com. 13.*
„ ri potest, vt id bonum sit, quoties expurgetur iecur, aut lien, aut om
„ ne corpus per iecur. non bonũ verò, quoties accidentis ratione fiat,
„ deductione à finibus cõcidente, aut ijs, quæ de iecore in ventrẽ eunt,
„ bonæ iudicationis signa non habentibus: qualia sunt cruda illa & li-

quida, quæ Gal. 8. de compos. med. per locos cap. 7. educi ait, non iecur non attrahit ab intestinis, sed horum vitiorum notas & remedia practici referunt in capite de diarrhea: ipse nunc addo, in tanta copia & cachochymia non esse fluorem hunc supprimendum. Secundò non esse medicamentis irritandum. Tertiò si vel aqua sit salsa, vel bilioso permixta succo, acrimoniam humoris obtundendam esse, & non aliter, quàm in dyssenterijs, munienda decreto Galeni intestina his, quæ vim habent emplasticam, atquè pinguem: ad quem vsum vulgò recepta sunt pro intestinis humilibus œnemata ex lacte, (lac enim, vt docuit Galenus, venenis & humoribus erosione adflictantibus medetur) addito butiro, vel adipe hircino, & saccaro: & si iam excoriari incipiunt intestina, addendus succus plantaginis, vel symphiti, aut hippuridis cum terra lemnia, armenaue, aut draconis sanguine, non sine portiuncula vini, aut succi cuiuspiam adstringentis: cuiusmodi est succus corigiolæ, lisimachiæ, ribes, polygoni, cicorij, reginæ, sorborum, phu, & id genus: sed læsis tenuibus intestinis, remedia per os exhibenda sunt, non tamen lac, quia lac dare caput dolentibus & febrientibus malum, sed pullæ iusculum pro eodem paratum scopo, parum adstrigens tamen: vt si incoquantur semina citoniorum & plantaginis cum modico vel squinanti & coriendrorum, non sine capillo veneris, cuscuta, gramine, endiuia, cicorio, feniculo, consolida, vt exulcerationis, obstructionum, tensionis, febris, viscerum ratio habeatur, & si humor valde tenuis & mordax ac molestus est, crasse facientibus vti licet, de quibus 2. in 6. co. 22. Quartò tentandum, ne materia isthæc per ventrem exiens vel paulatim effluat, quia homo vt senex admonet, ex frequenti surrectione vigilabit vtiq;, vel citò & affatim: quia, vt idem ait, periculum est, ne animo delinquat: si præsertim, vt puer, natura sit valde diffluens, & resolubilis: itaq; interdiu non surgat puer, sed in lectulo manens egerat: noctu verò non sine aliquo adstringente fit, & anodyno etiam, si egestionibus prematur venter. Huiusmodi est emplastrum diaphinicon & Galeni, & Alexandri cum portiuncula emplastri ex meliloto, quæ rosato permisceantur: potest etiam fieri hæc illitio.

Gal. 5. in 6. 5. — *Galenus ibidem.* — *Hipp. 2. prog. 13.*

℞. Olei rosati omphacini.	vnc.	j.	
Olei ex croco.	ℨ.	ij.	
Ceræ & aceti rosati.	q.	s.	Fiat vnguentum.

Et si mitiora adhuc sectari placet, iuuabit illinire ventrem rosato & rutaceo, vel mirteo & irino, vel oleo citoniorum solo, sed vnctũ ventrem

trem respergere mastiche, vel coriandro ac feniculo, thure & croco, rosis & galanga, vel lacca, & similibus. Si autem crassior exit materia, ac veluti conglobata, magis extergentia & attenuantia ex vsu erunt, & aliqua etiam foris cum vi emolliente, in humore potissimùm melancolico: ipse syrupo hoc vtor, quem & mirificè diuturnis tertianis conferre inuenio.

℞. Succi cicoreæ expurgati. vnc. vj.
Succi feniculi. vnc. ij.
Cimarum absinthij. } an. nu. ij.
Hyssopi.
Et si fluxus non adesset, adderem nitri. } an. vnc. j. s.
Ammoniaci.

Fiat infusio per horas duodecim: deinde cum modico saccaro illo optimo fiat syrupus longus: cuius dosis est in prouectis. vnc. ij. in pueris vncia: & in infantibus dimidia: cum decocto cetrach cap. Veneris, boraginis, endiuiæ; idem ferè præstabit syrupus ex agrimonia, vel betonica cum syrupo ex cicorea & de duabus radicibus sine aceto cum modico Sp. diarodon abbatis.

Quod pertinet ad localia, hæc, vt superius adnotaui, debent etiam thoracis indemnitati consulere: sed in his eligendis videtur Galenus à magistro deficere: nam Hippocrates 2. acutorum fomentum ex milio & sale ad tenues humores dissipandos parat ipse autem 14. methodi. 7. tenuissimis & calidis vtitur ad inflationem leuandam, quæ & ipsa à flatu, tenui satis substantia, fit: attamen vtriusquè idem est sensus: nam Hippocrates dolorem supponit, & illum in membrana, quæ auxilijs est satis peruia: Galenus autem vel hoc non supposito, vel interdum abditiore ab anodynis ad calidiora ascendit. præterea. 2. acutorum humor quispiam subijcitur; quem Galenus non curat, meram ex flatu inflationem, & eam sine „ dolore curans, vnde ait. in ventriculo quidam & visceribus oleum, „ quod tenuium est partium, & rutam habet incoctam, aut aliquod „ aliud calidorum seminum, cuiusmodi est semen apij, petroseli- „ ni, id præstabit: aliquando autem & cucurbita magna bis terue si- „ ne incisione medio ventri affixa &c. at in artubus & musculis, qui „ sub cute, aut etiam membranis, quæ ossa vestiunt, inflatione orta, „ si citra dolorem fit, liquor aliquis tenuissimarum partium, cuiusmo- „ di est lixiuium cum noua spongia exceptum satisfecerit. sin dolor „ quoq; vrget, vngenda pars est oleo, quod laxandi remittendiq; vim „ habeat, &c. Hippocrates deniq; tractans pleuritidem, acutum &

valdè accensum morbum calida euitat, nisi humoris crassitudo exigat: at Galenus de inflatione generatim loquens febrem non respicit, lixiuio tamen vtitur, in quo est aqua, vt in primo fotu Hippocratico, est etiam cinis, qui sali est similis, sed & lixiuium spongia exceptum amouet: qua & Hippocrates in crassiore causa vsus est: quamobrem & ego Galenum imitans à Sene non discedo, sed hac in inflatione vtor simul milio, sale, eruo, & orobo, vel frictis, si materia sit tenuis, vel excalfactis aceto, vbi est crassior, vt nec adeo calida sint, ac si abesset febris, nec ita mitia, vt in pleuritide. Secundò pro varietate inflationis, vel pituitosæ vel melancolicæ, complicatorum item affectuum, vt fluoris alui, dyssenteriæ, sic etiam auxilia euariant: vt in melancolica fotus ex decocto. s. lini, maluæ & feniculi: vel illitio ex oleo camomelino rosato cum modico alicuius gummatis, in pituitosa additis, vel sale, vel nitro, vel sale gemmæ, aut ammoniaco. Tertiò non statim ad calida præsertim intensa veniendum est, si repente inflatio appareat: Tralliano authore: tunc enim signum est, explodi à natura humorem iecoris calore ac febre acta: hæc etiam est Galeni regula in scirrhosis affectionibus curandis, ne violenta tenuis portionis excussio reliquam crassiorem eductuquè difficiliorem reddat. Quartò lieni iecori & reliquo etiam ventri cum febre tumido minus calida, quàm non præsente febre, conueniunt. Trallianus lienem tumentem curat epithemate, quod diaspermaton dicitur, ex calidis nempè seminibus confecto: simili etiam tractat tumens hepar Rasis, quod fit ex sem. apij, maioranæ siccæ, cordumeno, cipero, spica nardi, baccis lauri, cera, oleo nardino, & masticino: sed febris magis temperata postulat. Quintò cum extenuantibus aliqua emollientia misceri debent: nam & hæc, laxata cute, lenito tumore, tumorem dissipant, præcipuè scirrhosum & melancolicum. Quintò cum alterantibus aliqua euacuantia pro illitione, misceri possunt, vt polypodium, epithymum, senna, cortex radicis ellebori nigri pro liene; pro iecore, agaricus, qui vt docent Galenus & Rasis, iecoris obstructiones dissoluit. Sed quia hic laxat, rhaponticum, vel rhabarbarum, aut certè aloes addenda est. Aætius multa componit, quæ admota laxant ventrem. his vti erit, sed moderatis, pro iecoris inflatione Rasis emplastrum facit, ex mastiche spica, squinanto & abbeelbel, hoc est, vt dicit Auicennas, granis ben: hoc vti erit etiam pro toto ventre, sed ob febrem.

Rasis 7. cont. cap. 2.

brem multo rosato & farina hordei adiecta: cui assimile erit hoc pro iecore.

℞. Olei rosati.
De absinthio. } an. vnc. j.
Mastiches.
Spicæ. } an. ʒ. j.
Ceræ & Aceti. q. s.

Aliud. ℞. Succi cicoreæ. vnc. j. s.
Absinthij.
Anisorum.
Rosarum. } an. ʒ. j.
Aceti & Ceræ quod satis est.

Quod si in iecore duritas aliqua contrahatur, & ea diuturna, non cerines quidem statim Galeni capio: sed hoc.

℞. Ammoniaci.
Mucillag. s. lini. } an. vnc. j.
Xilo aloes. ℨ. ij.
Pulueris rosarum.
Absinthij. } an. ℨ. iij.

Cum cera, pice, & oleo masticino fiat ceratum. vel hoc. ℞. Citoniorum, farinæ hordei, fœnu grœci, olei, rosati, ceræ, & croci modicum, fac cataplasma. ad hoc valet etiam diachylon magnum descriptione Mesuæ; præsertim si gummata adijciantur. hæc enim & emolliunt, & emolliendo extenuant: vnde aduersus scirrhosos & melancolicos tumores inuenta sunt. vti etiam malua, lappa, oxylapathum, hydrolapathum, quæ & inflationibus mederi solent. Plin. lib. 20. cap. 20.

Pro stomaco tumido. ℞. Mentæ.
Rutæ.
Maioranæ.
Polij.
Calaminthæ. } an. m. s.

Pulueris rosarum. ℥. x.
Squinanti. ℥. v.
Galangæ. ℥. ij. s.
Terantur pro sacculo stomachi.

Aliud pro diuitibus. ℞. Olei ex nuce muscata. } an. vnc. s.
Ex anisis.
Rosati. vnc. j.
Cera & aceto adiectis, fiat vnguentum.

Pro liene. ℞. Olei capparorum. } an. vnc. j.
Rutacei.
Sp. dialaccæ. } an. ℥. j.
Diagalangæ.
Vel diacimini.
Fiat medicamentum, vt supra.

Pro toto ventre fieri potest hoc. ℞. Succi rutæ. } an. vnc. j.
Apij.
Altheæ.
Rosarum.
Farinæ lupinorum. vnc. s.
Aloes. ℥. ij.
Ceræ, & aceti, quantum est opus.

Aliud fortius. ℞. Olei ex castoreo. } an. vnc. s.
Nardini compositi.
Olei amigdal. dulcium. } an. vnc. j.
Rosati.
Galangæ. } an. ℥. s.
Salis indi.
Ammoniaci.
Cum aceto scillino & cera ad lenimentum reducantur.

Si ventris ex flatu dolor adsit, crocum & zedoariam adijcito. Si ventriculus crasiore flatu vexetur, vt per febres protractas fit aliquando, fiat oximel infrascriptum.

℞. Aceti optimi. } an. vnc. iiij.
Succi pomorum.
Cicoreæ.
Polij. } an. ℥. s.
Calamenthi.
Mentæ.
S. Feniculi. ℥. s.

Ebulliant, & facta transcolatione, adde mellis optimi, vel calidiore cœlo, saccari. q. s. fiat syrupus.

Si ex bile descendente, præter dicta superius, cheirino, rosato, sambucino, violato, vtitor, & in magna necessitate, oleo ex luteis ouorum cum modico nenufarino, aliqua semper cum portione eorum, quæ flatum & humorem dissoluunt. Tandem, si cætera non contulerint, subsidium illud relinquitur, ad quod in ventriculi inflatione Galenus confugiebat, vt scilicet spongia acerrimo aceto imbuta pedibus ac brachijs imponatur, vsquè quo bullæ excitentur. adeò est insitum mala pellere: vt bulla extima intimas bullas, simile disrumpat simile. & si hoc non sufficit, synapi tritum cum aceto admoueatur, donec rubefiat locus: psyllium etiam aceto & aqua maceratum & in mortario tusum, pari portione carnium coclearum admista, in malagmatis forma imponitur. Si testes tumeant, vulgatum est remedium, farina fabarum, & cicerum rubeorum: at si ignis sacer adest, fotus tepidæ hordei & maluarum aquæ iuuat: vel ex maluis coctis & tusis cataplasma hordeacea & fabarum farina adiectis. crura etiam inflata spiritu, calida perfusa, præsertim aucta calidi cuiuspiam excutientis. facultate detumescunt: at si non flatu, sed crasso humore turgent, quod agnosci potest, quia pulsati sonum non referunt, tunc eorum cura non alia est, quàm curatio œdematis, quod lixiuio, marina, sale, aceto, acribus vincitur. incisio crurum in pueris difficile vulnus interdum parit. Quòd si hydrops aliqua subcrescere incipiat, quæ foris admota sunt, eadem ferè per os valent, vt agrimonia, absinthium, lacca lota, succus puli cariæ, feniculi, cicoreæ sem. atriplicis. sp. diacucurmæ, & ex purgantibus, quæ dicta sunt: interim, vt in hydrope aqua, ita hic cruda hæc colluuies assiduè extenuata per intestina educi debet pro lege Hippo. & naturæ. ab hydrope habito si aqua per ventrem effluat, morbi solutio. Hippo. 6. aphor. 14.

Sed de his aliàs.

De infla-

De inflatorum victu, & Galeni cum Hippo. de lentium facultate consensio.



VM tensus venter in hydropem, si negligatur, tendere valeat, diligenter & per quandam hydropis analogiam tractari, debet, etiam in diæta constituenda: hæc extenuans primùm fit, euitatis crassis. deinde extenuans non flatuosa: nam ex attenuantibus aliqua sunt, quæ flatu perturbant multo, vt caricæ: abstinendum igitur, vt Trallianus docet, est à sapa, à mero, præsertim dulci, à mero aceto, à frigida, bulbis, leguminibus, quæ vt Hippocrates Galenusq; iampridem docuere, flatus ingignunt multos; à malis item, à castaneis, rapis, cucurbita, oriza, farro, pastaquê declinandum, qui cibi inflationem multam habent propositæ curationi contrariam: sed de lentibus hæsito: lens enim inflat, Auicennas & Hippo. 4. acutorum, nec id mirum cum sit frigidæ & terrestris substantiæ. itaquè huic curationi minimè accomodatur. Sed cum pro Galeni sententia in consilio de puero epileptico sit extenuans, quia, vt idem est author, sicca est, & non nihil etiam calida, hoc nomine videtur iuuare inflatos. Ad argumenta. inflat, fateor, nisi paretur benè: sed si bis coquatur, vt coqui, Galenus docuit, inflationem nescit; sale præsertim condita & garo. Est frigida, equidem, at quid non & calidi quippiam habere potest? cum non modo lens, vt Galenus docet, sed alia non pauca, vt acetum, lac. 1. simpl. 24. thermarum aquæ. 1. simpl. 24. aduersarijs prædita sunt facultatibus? Quid igitur, inquies Hippocrates absolutè frigidam; Galenus absolutè siccam & calidam pronunciant? id quod etiam sentire videtur Auicennas dicens, „ syluestrem esse manifestæ caliditatis, quasi „ domesticam obscuri caloris dicat, & idcirco ab Hippocrate frigi- „ dis cibis adnumeratam fuisse: sed controuersia etiam num viget: „ cum Hippocrates inter frigidissimos, nedum frigidos cibos lentem recenseat. extrema nempè in eandē materiem, nisi fracta inuicem, conuenire haud valent. Sed & aperto marte Galenus hanc eandem sententiam impugnat. 5. in 6. co. 33. cum igitur ore dissideant, ex Galeni & senis etiam visceribus conciliatio isthæc quærenda est: sunt in lente vires, vt dixi contrariæ, & vna quidem ventrem laxat; è contrario sistit altera: proinde hæc à frigido, (frigoris enim est ad-

stringere

Marginal notes: Hip. 4. ac. 90. 91. 92. 93. 94. 95. — Gale. 1. ac. 18. 1. & 2. de alim. fac. 3. sim. 15. in. 6. 33. — Hip. 6. epi sec. 5. tex. 33. — Auic. lib. 2. tr. 2. ca. de lente.

ſtringere. 1. ſimpl. 20. & alibi) & auſtero : ea verò ab aliquo acri & calido proficiſcitur. calida quidem portio in ſucco, & eo nitroſo ineſt, ſicuti etiam braſsicæ, betæ, galli veteris : & huiuſmodi; frigida verò veluti auſtera eſt. de hac Galenus 1. de alim. facult. cap. de lente, de nitroſa verò potiſsimùm in libris de cibis boni & mali ſucci : Si igitur totam lentis ſubſtantiam tango, ſicca eſt, & in actiuis tantùm à frigido ad calorem vergit, quantum caloris nitroſa illa portio auſteræ addit, & quia auſtera illa & frigida adſtringenſquè portio eſt modica. 1. de alim. facult. cap. relato. idcirco lentis calorem frigidæ virtuti Galenus præfert : atſi partem auſteram libro, lens eſt dubio procul cibus frigidior. auſteram igitur partem Hippocrates, nitroſam verò Galenus ſpectat, auſteram tangens, ſicuti etiam Hippocrates minimè ignorat calidam, cum lentes non excorticatos turbationem inferre, docet 4. ac. 94. neq; enim ſolùm id accidit, quòd duritate corticis, ſed multò prius contrarijs facultatibus fatigent ventrem : ex quibus qualitatibus, vt efficatior, Galeno eſt in de conſtit. artis, ita etiam laborioſior eſt coctioni calor, cuius, ſi Hippocratis arcana penetro, proprium eſt, cum vel acrimoniæ, vel craſsitiei excedit modum, perturbatio, turbationis veſtigium in humidis corporibus edente bulla; quam & inferri à lentibus docuit Ariſtoteles, qui, contextu forſitan illo lecto, pro- *Ariſt. 25*
„ blema edixit; cur aqua feruens nunquàm expafflat, freſum omne, *probl. 9.*
„ atquè lenticula expaflant? cuius rationem reddens ait; expaf-
„ flationem calor agit, euaporando, cogendoquè ea, quæ ſuo natu-
„ rali impetu obſtant : obſtant verò, vt ipſe ait, craſsitie partium, ſicut argentum, & polenta, ſic lentes : non mera & feruens aqua. Quid autem cauſæ ſit, cur non exterſa cortice lens maiore caloris vi adfflictet; ratio eſt, quia, & ſi cortex, vt ait Galenus, adſtringit magis, & idcirco in reſpectu medullæ valdè auſterus eſt, & terreſtris; attamen vim immoderati caloris auget, tum quia fatigat duritie, tum etiam quia, vt reliqui cortices, ſiccior eſt, quàm medulla, quò fit vt lentis calor & nitroſitas acuatur. Siccum ſi quidem lima caloris eſt : nouit ergo magiſter ſenex calidam in lente poteſtatem, ſicut alumnus frigidam : Sed hic lente, vel vt medicamento accepta, quod per ſenſibiles nos vires mutat, vel vt cibo quidem, ſed quatenus primùm eſt, ſicuti docet philoſophus, naturæ noſtræ contrarius, nundum aſsimilis, hoc, inquam, modo guſtata lente, vim præcipuè nitri & caloris refert. ille verò, vt cibum, iudicans, quatenus actu alit, nec manifeſtè

alterans,

alterans, ſed factus ſimilis (nam alimentum alit, vt ſimile 2. de ani-
ma) hoc inquam, nomine vim obſeruat ſubſtantiæ, frigidæque
facultatis: cum enim hæc terreſtri parti, calida vero nitroſaque, ſi
Aui.li.2. non tenuiori, ſaltem minus craſſæ inhæreat, proculdubio, vt Auice.
tr.1.c.1. docet, inter coquendum abit, terreſtri & acerba ſuperſtite, vti etiam
in lebete, & in braſsica, cuius prima decoctio, tanquam ea, quæ
Gale. 2. ,, nitri eſt particeps. 2. de alim. fac. cap. de braſsica: aluum irritat,
de alim. ,, ſecunda reprimit, ob receſſum eius, quæ laxat: quia nihil, quod co-
fac. c. de ,, quitur, proprium ſuccum ſeruare omnino poteſt, quin prius omnem
braſſica. ,, abijciat, niſi ſuauis quædam & bis tentata coctio aliquid eius reti-
,, neat. auſteram verò manere, effectus indicat, quia lens paucum
Gal.li.de craſſum, & frigidum alimentum gignit, Galeno authore: paucum,
cibis boni quia pauca eſt etiam in carne lentis auſtera ſubſtantia: craſſum &
mali ſuc- frigidum, quia & ipſa ſubſtantia non alterius naturæ eſt, non ſcilicet
ci & in aquea, ſed terreſtris. triplex nimirum, vt Diuina Hippocratis ſa-
conſil. de pientia eluceat: triplex, inquam, eſt cibus frigidus: aqueus, ter-
pu. epil. reſtris, medius: aqueum cucurbita; terreſtrem lente; medium
Hanc con milio indicauit: ſic Galenus vim à lente inteſtinis latam ſentiens
cordiã ta calidam; Hippo. altius conuerſi cibi vim perſequutus frigidam om
cite Aui nino cenſuit: & ſi cum alijs cibis conferatur; quatenus frigidos hu-
cen. indi- mores generant, etiam frigidiſsimam: nam vt frigidiſſima elemen-
cat cap. ta ſunt terra & aqua, ſic frigidiſsimi humores ſunt pituita aterque
de lente. ſuccus, ille auſterus, & non corrodens. illum cucurbita, hunc len-
tes copioſum edunt. hac de cauſa frigoris vi admodum peruica-
ces gignens cancrum & lepram, Alexandrinorum, vti etiam len-
tes, domeſticam, qui morbus, ſi quid caloris habet, non ex hu-
more primùm cibi, ſed ex mora, quam frigida illa fœx ſanguinis
trahit in corpore, vti etiam de pituita antiqua, eodem ſene do-
cente, dictum eſt, contrahit: ne autem conciliaſſe, videar vi vi-
Gale. 1. ros grauiſsimos, Galeni viſcera penetrans, inuenio eundem de
ſim. 24. aceto loquentem tale quippiam in eo admittere: acetum tamen in
4. ſim. 3. eodem ipſo cap. 24. ab eo ipſo aliquando frigidum & ſiccum ſim-
pliciter conſtitutum fuiſſe. & per accidens, acrimoniæ ſcilicet vi,
4. ſimpl. calefacere; quam tamen ex putrido calore gigni aliàs edocet: Sed
3. quid de vrticis? has non reieci à cura variolarum: extenuant, ape-
riunt, ſed tumefaciunt, quia vt ait Galenus quiddam flatuoſum
Gale. 6. obtinent, quo & venerem ſtimulant, & maximè, vbi cum muſto
ſimpl. ſemen bibitur: at ſi capiatur cum aliquo ex decoctis diſcutienti-
bus, vtiq; & hoc concedi poteſt, vti etiam cicer benè maceratum, vt

lentes,

lentes, mixtum cum cibis probis, ficut lentes cum carnibus (veteres suilla vtebantur) ita illud carnium saltem iusculo item garo, vel feniculo correctum, sicut lentes pulegio & saturea.

De tenesmo, & exitu intestini recti.


AEC affectio, si quæ alia, infestat pueros ob excessum humoris, qui laxat sphincterem, musculum scilicet, quo intestini caput imum tenetur, & si acrior sit proluuies, etiam exulcerat, vnde assidua egerendi libido oritur, qua premente prolapsionem haud curaueris. ea igitur abigenda in primis est, & auerso, per vomitum præcipuè, & temperato, qui illabitur, humore, siuè bilioso, siue, quod frequentius hac in ætate fit, pituitoso, nam pueri abundant humore potius isto, quàm bile: nec bilis ita hæret, nisi quodam veluti glutine implicetur, cuiusmodi ex 4. de morbis pituita est, quæ fæces implicans in causa est, vt lapidescant: locus etiam detersus illiniatur, & roboretur, ne materiam defluentem excipiens corrodatur: œnema.

℞. Lactis callibeati, vel
Decoctionis hordei vsti. vnc. vj.
Pul. saccari. ʒ. vj.

Quo excreto, aliud non euestigio, sed intermisso tantulo temporis inijciatur.

℞. Decoctionis plantaginis. vnc. vj.
Butiri. vnc. ij.
Boli armeni orien. ʒ. j. s.
Olei mirtini. vnc. s.

Quòd si formam hanc remedij non admittant, isthæc glans subponatur.

℞. Sepi hircini. ʒ. vj.
Licij.
Boli ar. orien. } an. ℈. s.
Fiat suprepositium.

Hinc ad reliquum curationis accedo: & inprimis ablui, iubeo, intestinum vino austero, in quo etiam adstrigentium & detergentium aliquod ebullierit, vt rosæ, mirtilli, vstum hordeum, balustiæ, gallæ, nuces cuppressi, cuppulæ glandium, & si vlcus adsit, consolida, plan-

da, plantago, postea detersum linteolo purpurei coloris respergo: hoc puluere.

℞. Rosarum rubearum.
Liquiritiæ.
Mastiches.
Boli ar. or. } an. ℥. j.

Vel hoc fortiore ℞. Thuris.
Plantaginis.
Terræ sigillatæ. } an. ℥. j. s.

Quo adhuc validior iste est. ℞. Nucum cupresſi.
Sanguinis draconis.
Acaciæ vel
Hipocistidos.
Thuris.
S. Citoniorum. } an. ℈. j.

Et si dolor vrgeat, opij.
Si vlcus adsit, plumbi vsti. an. ℈. s.
Dolore autem incessante, illitio isthæc sit.

℞. Luteorum oui. nume. j.
Philonij Romani, &
Si effluat sanguis, persici. an. g. vj.
Pro grandiusculis. an. ℈. s.
Thuris. ℈. j.
Ex sapa fiat vnguentum.

Dolore sedato, repositum intestinum corroborare oportet, ne amplius relabatur: roborat autem vini dicti fotus: roborat emplastrum diasinicon Alexandri. roborat emplastrum, quod ex citonio fit cocto in vino austero & puluere suprascipto copioso: nec cerutum ad crepatos institutum improbo.

De mictu sanguinis.

INTER rara est, mingi sanguinem à febre. in peste Brixiana nescio, an vnum vel alterum sic affectum viderim, isq; adolescens fuit. superiore anno habuimus exemplum prætoris Boni, viri senis: ergo & in lue hac puerili vnum duntaxat scio, qui ita minxerit & fuit puerulus sicci satis & squallidi habitus, vti etiam adolescens dictus: Bonus habitu erat pleno: attamen percalidus melancolicus: nec symptoma omnibus non exitio fuit.& quamuis nullum est accidens vrinæ, quod in pueris benè constitutam expultricem naturà habentibus non sit verendum: attamen sanguinis mictio in pernicie primas tenet; deploranda magis, quàm curanda noxa, vbi post febrem irruit. Vrinæ difficultas ea, vt ait Galenus, vel cum dolore turbans, vel non nisi paulatim profluere mictum sinens grauis est molestia, eaq; in malignis febribus, vt obseruauit Aætius, & primùm 3. epid. temp. 3. senex noster, videri solita; sed huic, nisi, vt veteres docent, ob calculum vesicæ obturbet, puerilis ætas acrimoniam nesciens non est obnoxia: pessimum est etiam, mictionem supprimi, præsertim si, vt sæpenumerò apud Galenum legimus, vel ob emorientem facultatem fiat, vel certè ob ardorem eximium, qui cum sanguine & aquam ipsam introrsum rapiat: sed mictus sanguinis saltem vt causa, est deterior: suppressio enim ex calculo vesicæ, cuius signa Galenus in de lo. aff. explicat (in pueris saltem) efficacibus vt dicit Paulus, remedijs superatur: præterea quod vrinæ suppressionem insequitur, tensio est partis, & mictio introrsum versa, in quod malum proni sunt pueri ob humorem nimium, à quo vesicæ musculus ita laxari solet, vt emandare non valens aquam, neq; tamen eam ferre ob sensum neruosi loci, cogatur aqueum ferè quendam voluulum versare. at mictus sanguinis cum multus est, vitam exhaurit, dolore interdum etiam fatigans spiritum, qui ferendæ opis caussa accurrit: mictus quippe hic molestiæ plenus ab vlcere & corrosis venis aut vesicæ aut renum oritur: ille autem doloris exors à ruptis aut apertis vasis manat: hic sine pure, saniosus ille, quia,
„ si quis sanguinem vel pus mingat, aut renum aut vesicæ exulceratio-
„ nem significat, vel, vt addit Gale. meatuum emananti aquæ addicto-
„ rum, quos aliquando renum calculus angulis exasperat, corroditq;
„ cur autem disiunctiuam illam addiderit (aut) Galenus rationem

Vide Gale. 3. aph. 16. 5. aph. 58. 7. aph. 48. 5. de lo. aff. Aætius li. 11. ca. 21.

Paulus li. 3. cap. 45.

Hipp. 4. aph. 75.

" ait: quia si vulcus in vase aliquo effatu digno constiterit, & præcipuè cum aliqua exesione, sanguinis excretio consequitur: sine hoc
" autem pueris tantummodo. quibus verbis tacitè etiam illud significat, Hippocratem hac dicendi formula vsum fuisse, non quòd significetur perpetuò vlcus ex mictu sanguinis aut vesicæ aut renum, nam idest falsum, cum ex ruptione etiam & apertione fluat, sed quasi dicens: corrosio dictarum partium semper quidem pure, aliquando autem sanguinis tantùm mictione agnoscitur, vel hunc in modum. vlcere incipiente sanguis, facto pus effluit: alioquin in sequentibus aphorismis ex vario & quantitatis gradu & excretionis modo, ex his item, quæ cum sanguine exeunt, varias in hoc symptomate partes affici, edocet vsq; ad aphorismum 81. Si enim sanguis quibusdam cum carunculis, & pilis mingitur, est à renibus: aphorismo. 76. si spontè, & vt additum est à Galeno & Rasi, plurimus, is pariter est à renibus aphorismo 77. propterea quòd in vesica venam rumpi ex influentis sanguinis abundantia, quemadmodum in renibus accidere solet, est impossibile, ait Galenus. vbi addo, non vt in renibus, ita etiam in pulmonibus rem se habere: in his enim, vt Galenus refert, multus sanguis effusus venam disruptam significat: at è renibus multus, etiam aperta, profluit; quod eò copia irruat sanguinis, qui per tussim excretus haud multus per apertam venam expuitur: Deniquè quibus in urinis arenosa subsident, ijs vesica calculo laborat. qui tametsi nihil vel parum facere ad rem videtur: attamen illud clarè docet, quod à sacris libris accepimus, artificiosos esse viros sapientes. docet hic aphorismus 54. pro mictu sanguinis benè tractando necessariam esse cognitionem causæ, quæ præsertim etiam num fluorem adiuuat. docet tacitè, à calculo id mali accidere, vt in vesica, ita in renibus, & vreteris. docet, spectanda esse in morbis, ex quibus in quæ fit mutatio. docet, vlcus præcipuè obseruandum esse, an post mictum sanguinis relinquatur: nam omnis morbus ferè vlcus est & quod res ita se habeat, probo, quia aphorismus. 75. vlcerationem denotat: hic pariter 79. de calculo loquens implicitè vlceris à calculo enati mentionem facit, vt mictum sanguineum sæpenumerò duci ab vlcere, & sanata vena disrupta desinere pariter in vlcus doceat. & quo vlceris locum indicet, lapilli similiter situm edocet, eodem aphorismo 79. edocet autem ex his, quæ in vrina subcident, arenis, in 80. autem & 81. ex alijs signis, nempe ex dolore vesicæ,
" quem ex meiendi modo, ex micti sanguinis concretione, ex loco doloris,

Gal. 6. de lo. aff. 3.

Gal. 4. de lo. aff. 8.

4. aph. 79.

„ doloris, monstrat dicens. Si sanguinem mingant, aut grumos,
„ vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ven-
„ trem & pectinem, & femur, dolor circa vesicam est. Secundò ex squammulis & fætore in aphorismo 81. arte mira docens alia duo: primum est, dolore renum (cum alijs signis) eorundem corrosionem significari. Secundum est squammulas, (græcè λεπίδας vocat) veluti excoriationes esse lapilli assiduo extersi allisu, quamquàm vicissim etiam assidua humoris, qui accedit, concretione augescentis, posse tamen ex renibus veluti furfures mingi, non qui sint veluti senecta lapilli abditi, atquè venefici, qui ea in parte non manet diu, sedquædam, vt ait Gale. putridi & conflagrantis humoris concretio facta in renibus, vti etiam, eodem authore, in vesica scabies & furfur apho. 77. in renibus capilli apho. 76. & 5. de lo. aff. cap. de aff. renum. & rem ita se habere, probant voces variæ, quibus Diuinus hic vir vtitur: calculi enim spolia λεπίδας vocat, furfures autem πιτυρώδεα: His absolutis, cum iam de vrina imminuta, & laboriosa, cum de turbata & malè affecta penes substantiam egisset, exorsus, & procedens à communioribus; tandem
„ de supressione agit, de tuberculo vesicæ agens. Quibus in vrina-
„ ria fistula tubercula nascuntur, ijs suppuratione facta, & eruptione
„ solutio. Demum aphorismum subiungit 83. artis plenum: in quo
„ edocet, ad mictum sanguinis & aeris conditionem, & excretio-
„ num suppressiones facere, ita scribens: Mictio noctu plurima fa-
„ cta paruam significat deiectionem: mingit sanguinem, sed frequentius expuit, mulier, suppressis mensibus, homo hæmorroidibus, iuuenis autem, sanguineo fluore narium: quod verò ad tempora pertinet, vere obseruat senex sanguinis fieri profluuia. 3. aphor. 20. quod cum pro Gale. sententia ex multitudine sanguinis & vitio fiat, est in causa, vt idipsum accidat, quotiescunq; anni pars aut verna, aut peregrina quapiam temperie ascita, easdem affectiones, cacochymiam, dico, & copiam ingeneret, siue calida & humidior, siue calida & sicca: frigida nempe non auget, non exasperat sanguinem: sed contabefacit. siccior, vt idem est obseruator, vrinæ duntaxat difficultates excitat: si cum algore, non cruentas, cruentas potius expuitiones vulgans, cum frigus, vt Hippo. Galenusq; docuerunt, illi viscerum ordini molestum sit: si cum æstu, & has & illas: quia siccitas humores humore spoliatos acuit, præsertim biliosos: quo fit vt promptè & in vesicam & in venulas pectoris ingesti eas aperiant, exulcerent, disrumpant, tenuitate penetratas, corrosas

Gal. in co. aph. 77.

4. aph. 82.

acrimonia, multitudine verò tensas & fractas: aliquando autem mixta & inæqualia tempora hæc non diuulgant mala, vrinæ, inquam, labores, præsertim sanguineos, nisi siquis naturam & temperiem tempori cognatam sit nactus: sic frigidior & sicca tempestas vrinæ laborem & difficultatem ijs in senibus parit, qui natura sicci iam ætate squallidum & acrem quendam calorem humoremquè contraxerunt: calida & humidior aliqua cum siccitate modo austrina modo boreali pueros angit variolis sæuientibus, nec eos quoslibet, sed exustiores, & ex his illos, qui maiore cum impuritate venulas strictiores inualidioremquè ab ortu expultricem habeant, adeò vt quod per variolas non satis funditur ad salutem, perdito modo in sanguinis vrinam cedat; præsertim in pueris: in quibus fit sanguinis mictus ex pustula & variola, quæ in vesica disrupta sit.

Vide Auicen. cap. de vlcere vesicæ.

De prognosticis mictus sanguinei.



ERDITVM ergo exiens est cruenta mictio: primùm vt causa, vel occidens, vel diuturna mala ferens, vt vlcera vesicæ, renum, phtysin, tabem, cachexiam, hydropem: deinde vt prauum signum: indicans nempe, quod natura principio ob nimiam, vt dixi, humoris crassitiem per sudorem & vrinas non emandauit, nunc deniquè vel morbum vel eandem ipsam naturam morbo solicitatam, fractam copia, mordacitate impulsam, & quandoquè rosam infœliciter absoluisse. quod fracto vase, est deterrimum, corroso, non ita pernix, diuturnum tamen: aperto autem mitius, siquidem aperit sola tenuitas, corrodit, vt dictum est, acrimonia, frangit verò & hæc & copia, quæ à tempore & per tempestates non tanta cogitur, vt frangat, nisi mordacitas quædam illi sit socia: vnde Galenus defractis in naso venis per malignas febres quandoquè loquens, prætermissa copia, vnius bilis & cacochymiæ mentionem facit. 2. in 1. de morb. vulgar. co. 66. grauior item est offensio, frangi vas aliquod in renibus, quàm in vesica, vel rumpi, vel vlcerari: propterea quòd & pars læsa primarijs vicina est, & difficilius, quàm vesicæ regio, medicamenta excipit, saltem iniecta: Quod verò ad causas pertinet, mitissimus est fluor, qui albescit,

albescit, ichoris soboles, quæ & causa est Galeno, vt menses anticipent, & hic est veluti lotura carnium: de quo fluxu Galenus 6. de affectis locis 3. hoc autem est deterior, qui vt Rasis docuit, est item quasi cruenta aqua, sed ex bile æruginosa permixta sero: non ea quidem, de qua sæpè Galenus loquitur, viridi scilicet, quia hic color cum aqueo permixtus mixtum assimile cruentis ob elotas carnes aquis non facit, sed ferruginosa, & æruginoso ferro simillima, qua perfusam aquam cruentam videmus esse: vbi hæc effluit, ait Rasis, ægrum squallescere, ob liquationem scilicet & ardorem febris: at ipse addo: æruginem naturà, vt est à Galeno obseruatum, contabefacere. omnium autem deterrimum est atra mictio, siuè cum sanguine. siue citra eum: quod excretionis genus vbiquè ab Hippocrate Galenoquè & in uomitu, & in sputo, & in stilla, vt perniciosum proponitur; præsertim si à cœlo non priuatis de causis, accidat: de quo tertia tertij de morbis vulgaribus: huiusmodi fluxum si supprimis, mortem custodis: sin effluere finis, vitam exhauris; cum ne ipsa quidem natura tale virus vel continere, vel maturare ad salutem possit.

Gal.5.aph. co.36. *Rasis 10. cont. ca.1.* *Gal.4.aph. com.22. 23.*

De repressione mictus cruenti in febribus.



SI quando autem reprimi potest, quod & statim faciendum est, antequàm vel occidat, vel vlcus, aliaquè mala ferat, sint ij scopi: fluxus repressio, restitutio affectæ partis, affectuum complicatorum ratio: Quod pertinet ad accidens, hoc est ad fluxum, duplex proponitur indicatio: vnam ille dictat, altera verò ex fluentis sanguinis specie comprænhenditur. in fluore autem sanguinis, vt fluor est huiusmodi, duo pro Galeni monitu optanda sunt: ne scilicet immodicè prorumpat, & quæ sequi solent, mala, vt vlcus, putredo, malus habitus, præueniantur: non fluet autem plus æquo, si vel decretorius fuerit, & moderatus, vt aliquando illum esse, Auicennas docet, vel symptomaticus quidem, sed non statim suppressus, nimiumuè permissus fluere. sic enim contabefacit inna-

Gal.7.cacato.ca.2. *Auic.19. 3.tr.2.cap. 21.*

tum calidum: è vestigio autem repulsus pleniores habitus obruit; corrumpit impuros. non permittetur autem, nimis erumpere, si reuellatur, si imminuatur, si temperetur: reuellitur animi corporisquè motibus, quos vel ars, vel natura ciet: vt timore subito, inspersa frigida, vinculis, fricationibus, cucurbitulis mandanti admotis parti, præsertim iecori, postea renibus, & interdum etiam vesicæ ipsi; Sed his præire debet manifesta quæpiam euacuatio: insensilis enim, vt fricario, balneum, cum reuulsionis est, tum ab Hippocrare dicitur exsiccatio 6. epid. sect. 2. tex. & co. 2. iamquè secundus à fluxu scopus proponitur, qui causam fluentem respicit: & ille duplex, primus vt ea imminuatur, secundus, vt temperetur: imminuitur sectione venæ, vbi abundet copia: (tametsi venæ sectio etiam reuellit) & tunc basilica secari debet: purgatio etiam, vbi potissimùm missioni sanguinis non est locus, maturè quærenda est, non expectata maturatione, cum materia hic subfurens adsit: est autem hæc medela ex vsu, cum sanguis vel ichoroides, vel, vt in hoc casu, etiam biliosus est: (vbi atra bilis, purgandum non est) quia si eam educis, postera die ægrum ingulauisti. sic monet mirandus senex: si mitiores tantummodo succi exeunt, maximè ichores, efferatur recessu mansuetiorum: ergo purgandum corpus, vbi præsertim abundat ichor: & hæc est lex Hippocratis in aphorismo iam relato. 36. 5. libri. Mulieri menses decolores, nec per idem tempus semper venientes, purgationem indicant, esse necessariam: quasi dicat si atri sint, non est tentanda purgatio: si flauescant, admittitur, sed non tam facilè, vt in ichoribus: tunc maior temperationis incumbit necessitas: temperatur autem humor fluens, si tenuitas crassefiat, si æstus refrigeretur, acrimonia intus forisquè mitigetur intus cibis & medicamentis, quæ demulcent, & crassefaciunt: hæc sunt trita: referuntur ab authoribus: aqua, incoctis seminibus sumach, probatur, aut portulacæ, vel radicibus consolidæ, & si opus sit, semperuiui, sed ab his valdè frigidis puerulis natura abhorret: cibi autem sint fercula ex pane loto, & roborato aliquibus adstringentibus, vt omphacio, fructu rubi, & spinæ ægyptiæ, quam puto vuam vrsi. hanc enim sub hoc nomine retulit 7. catatopus cap. 2. at vt fructum spinæ ægyptiæ proponit. 5. methodi cap. 5. quæ ex lacte fiunt, ea in febribus putridis euitare, oportet: foris autem sectione venæ opus est & balneo, & epithematibus ex semperuiuo, ex aceto, cum succo arnoglossæ, portulacæ, virgæ pastoris, & huius-

Author lib. prorrhetici.

& huiusmodi, quæ medicamenta hyppocondrijs emunctorijsq;, decreto Auicennæ, admouentur. Trallianus renes & pecten munit rosato mirtino aut melino, quod scilicet ex citonijs fit. nec his absq; aceto & vino austero. Quod autem omnibus præstat, est balneum, adstringens tamen, in quo iubet Auicennas coqui lentes excorticatas, ne fortassis cortice non exempto exsiccent nimis: ad hæc citonia, pira, cortices granatorum, virga pastoris: hoc temperat, hoc obscurè purgat, hoc reuellit ab imo corpore: sed in pueris, qui variola præcipuè & petechijs laborent, periculosum, nisi febris vrat sine phlegmone, & post coctionem & purgationem. Sit igitur in primis isthæc ichorũ purgatio & illa pariter adstringens. vt pro iuuenibus.

℞. Mirobalanorum chebulorum. } an. ℥. ij.
Citrinorum.
Mastiches. } an. ℥. s.
S. Alchechengi.
Rad. Centaureæ maioris.
Tamarindorum. ℥. iij.
Ebulliant in aqua plantaginis; vel portulacæ, vel corigiolæ.
℞. Dicti decocti. q. s.
Syrupi rosati solut. vnc. iij.
Mannæ. vnc. j. s.
Fiat potio pro aurora. Si quis bolum amet.
Accipe floris casiæ pinguis recens extractæ à setacino. ℥. x.
Agarici trociscati. ℈. ij. s.
Rheub. electi immaturi. ℈. s.
Trocis. de carale, vel, vbi vlcus adsit.
De terra sigillata. ℈. s
Fiant Boli pro aurora.

Vlceris mentionem feci, vt affectus cùm fluxu hoc aliquando complicati. factis euacuationibus & reuulsionibus, de quibus aliàs, sanguinem, vt dixi, oportet crasiorem reddere, sed his, quæ febrem & obstructiones, quæ cum hoc symptomate implicantur, quàm minimùm augere possint, vt farri vsu, & portulacæ, iusculis agni, vel pullæ alteratis, vt dixi, in quibus calibs extincta sit: eadem autem ferè est ratio curandi eius, qui est ferruginosus, & rubens valdè: secanda est iecoraria: euacuandum corpus, manna, rosato & violato solutiuis, ex sero lactis, vel aqua plantaginis, portulacæ: nec alteratio intermittatur: placet, vt bis in die æger bibat aquam portulacæ, plantaginis, & capillorum veneris: & si enim

aperit capillus veneris, prodeſt tamen medicamenti vim ad locum affectum ducens, & ſic Auicennas ac Meſues debent, intelligi, cum dicunt, centauream ſimul educere, & ſiſtere ſanguinem: educit enim, cum ſuperpurgat, ſed purgando, & reuellendo, ſiſtit vi, quæ adſtringit, cum ex contrarijs facultatibus ſit compoſita: ſiſtit deniquè hanc ipſam vim vi aperiente ad locum affectum mandans: & ita Galenus, Rafis, Auicennas, & alij in hac curatione diuretica miſcent cum adſtringentibus: & ſic etiam antidoti ad fluentem ſanguinem reprimendum facti, vt trociſci è carabe, ex terra ſigillata, & alij, non ſunt ſine aliquibus, quæ aperiunt, ſicuti & his, quæ reſerant, medicamentis, aliquà cogentia miſceri, ſolent: adeo natura & ars contraria conciliant, vt ea mutuò refrangiferant, præualente eo, quod magis pro vſu ſit. Hæc de fluxu, vt fluxus eſt: cauſa verò, ſi recens eſt, & procatarctica, vel tolli debet, vel corrigi, vt venenum, medicamentum: de quo fluxu 9. catatopus cap. 2. in fine. modus autem hic medicamentorum ſolet eſſe calidus, acrimoniæ plenus, ideo lacte, vel, ſi febris adhuc ardens vrat, expurgatiſsimo ſero mitigari, debet: aut pingui iuſculo, & adſtrigente, & ſi cœlum æſtuat, thalamus refrigeretur cum roſato aceto, tum apertis, quæ ad boreā pertinent, oſtijs, ac feneſtris. Hæc de cauſa extrinſeca: intima vero eſt venæ, arteriæue diſruptio, corroſio, apertio, aut in veſica aut in renibus, aut ſupra renes: inter has autem, dum ritè curantur, conuenit de auertendo, vt dixi, impetu, de extenuanda copia, de retundendo acumine, de contrahendis & obturandis oſtijs. Sed hæc intentio, quæ vaſi aperto ſufficit, exeſo & diſrupto ſatis non eſt, in quo conglutinare, & arctius, quàm in aperto, vincire oportet locum, ſi tamen ad manum ſit, alioquin per reuulſionem, per deriuationem ad vicina, per cibos & medelas emplaſticas, refrigerantes adſtringentes, reprimuntur eæ profuſiones, quæ ex vaſis, fiunt operi non patentibus: quamuis chirurgi audeant aliquando, ſecare muſculos, & venulas altè conditas deligare, inurere. Quæ autem ex eroſione fit, ſanguinis eruptio his curatur, quæ corroſas partes renutriunt, Galeno authore; ſed quia longior eſt iſthæc via, nec in hoc caſu nobis eſt propoſitum, curare vlcus, vel fractionem, vt talis eſt, ſed fluxum compeſcere, quà fluxus eſt: idcirco ad eum rediens addo indicationem à parte læſa, ſiue ſit veſica, ſiue renes, & colatoria, nam in renes ore, in veſicam catatere medicamenta inijciuntur: tum rurſus coniugo ſcopos à fluxu ſumptos, & cauſa coniuncta fluxus: qua eſt apertio & fractio venæ: quas, vt dixi

Gal. 7. catato. cap. 2.

Gale. 5. meth. 5.

Gale. 7. catato. 2. 5. meth. 5.

dixi, copia indicat ſanguinis, quia ex diſrupto vaſe maior, hiante verò minor quantitas funditur: ea tamen & ipſa vel parcior, vel vberior, pro magnitudine vaſis, & plenitudine: vnde Galenus com- Gale. 5. mune remedium huius fluoris docens adſtringentia paulò poſt di- meth. 5. ſtinguit dicens. eſt porrò id medicamen (ſuccus plantaginis) & ad ea, quæ ex eroſione excitantur, ſanguinis profluuia vtiliſſimum, cui etiam valentius aliquod hoc caſu medicamentum, aliàs aliud, ei miſcere, ſoleo vtiq; ad totum reſpiciens affectum: id quod ſemper eſt faciendum, & pro maximo documento in omnibus habendum: nam in his ipſis, quæ ex vulua, veſica, & inteſtinis profluuia citantur, æſtimari debebit ipſius pro fuſionis quantitas, vt videlicet hanc iam, vel vt primam vel, vt ſecundam, indicationem curationis habeamus: nec tamen obiter totius affectus non habentes rationem: nam ſi perruptum vas aliquod magnum eſt, aut vehementer recluſum hiat, vtiquè adſtringentibus medicinis eſt opus, veluti balauſtio, & hypociſtide & rhoe, & omphacio, & acacia, & gallis immaturis, & malicorio: ſin vel exiguum vas eſt, quod perruptum eſt, vel modicè recluſum, ſic vt non multus ſit, qui in eo profluit, ſanguis, etiam aloe & manna, & pini cortex, & lemnium ſigillum, & ſpinæ agyptiæ fructus, & crocus, & lapis hæmatites aliaquè id genus ex vino nigro auſtero vtilia medicamenta ſunt. huiuſquè varietatis cauſa duplex eſt: prima eſt, quia pro gradu hiatus varia, vti etiam in qualibet ægritudine, quæritur menſura auxilij: & quia præſentiſſima eſt adſtrictio, quæ medicamentis, compreſſionibusquè acquiritur: obturatio verò eſt tardior, idcirco in magna effuſione ſanguinis è vena, vel rupta, vel patente fuſi maior adſtrictio, in minore autem minor cum aliqua obturatione requiritur: ſecunda cauſa eſt, quia in maiore diſruptione verendum eſt, ne ſubſtantia plus detrimenti acceperit: idcirco aloem & alia Galenus addidit, quæ non nihil aperiunt, ſed reſtituunt ſubſtantiam affecti loci. iam verò nos in hoc caſu venam vel ruptam vel hiantem ſupponimus: & hanc vel decretoriam, vel penitus ſymptomaticam: hæc per interualla; nec affatim vel fieri, vel leuari ſolet, ea verò & releuatur æger, & quàm celerimè: hæc igitur ſinenda, & ſi venam ſecari oportet, ſaphenæ quàm baſilicæ inciſio eſt melior, teſte Auicenna. illam autem exaduerſo frenare oportet. ſi ex copia, hanc ſuſtulimus: ſi ex mala qualitate acri ac tenui; hæc pariter iam caſtigata eſt: ſi ex liquatione febris, ea protinus temperanda eſt largo hauſtu frigidæ, vel refrigerantis cuiuſpiam aquæ, vt

solatri, solani, anguriæ cum aliquo ex adstringentibus. vt reginæ aqua, lisimachiæ, quæ lisimachi regis periculo multam postea apud cæteros in sedando sanguine exstimationem est assequuta. si suppresio malum tulit, excretio reuocanda: quæcunq; sit, nam prærerquàm quòd, vt de hæmorrhoidibus vteri Auicennas dicit, pustulas excitant, tempore etiam accensæ accendunt sanguinem, & putredine febreq; contracta, eliquant. Sed reuocari per aperientia, dum adest fluor, opus est diuturnum: ideò oportet hæmorrhoidas illico aperire, malleolos & tali venam secare: nisi plethora cogat, vt, quemadmodum, teste Aætio, in mensibus suppresis fit, toti prius corpori, secta basilica, consulamus, poplitis venam postea incidentes: aliàs Galeni sententia est potior, tali nempe venam, aut hæmorrhoidas statim quærendas esse; reuocata euacuatione, imminuto, temperato, restituto, vt licet, sanguine, si vltra emanet sanguis, & antidotis & localibus prædictis vtendum est non pauca Dioscorides, Galenus, alijq; proponunt: non improbo in adultis recentem theriacem, quæ, vt author docet libri de ther: ad Pamphilianum, & aluum & biliosos etiam compescit vomitus: pueris ego puluisculum hunc exhiberem.

Auic. lib. 3. fen. 21. tr. 4. c. 20.

Aætius li. 16. ca. 57.

Gale. lib. de rat. cur. per sang. miss. cap. 15.

℞. S. Portulacæ.
Plantaginis.
Alchechengi.
Sumach.
Plumbi vsti.
Terræ sigillatæ.
Lapidis hematites. } an. ℈. j.
Granorum peoniæ.
Rheubarbari. } an. ℈. s.

In tenuissimum redacta propinato ex aqua, vel succo aliquo ex iam dictis idquè bis quotidie, ante cibum hora.

Placet etiam puluis hic. ℞. Testæ oui.
Spongiæ, vel, vt Dioscor. ait.
Lapidis in spongia inuenti.
Qui & calculos atterit.
Sanguinis draconis.
S. Hyasciami.
Feniculi. } an. ℈. s.

Subtilissimè contrita vsui sint ad prædictum modum.

Ad idem ℞. Succi portulacæ.
Plantaginis.
Rubi vel ribes. } an. vnc. iij.
Endiuiæ.
Centaur. maioris.

Et expurgatos modico, adiecto saccaro, ad syrupi formam redigito. Dosis est vnc. ij. pariter bis quotidie tertia ante cibum hora cum modico iusculi agnini, aut pullæ, vel pedum vituli, in quo nuces cupressi, vel balaustiæ radix, vel fructus syluestris pruni, cicorium, capillus veneris, vel melonum semina ebullierint. potest etiam parari pro delicatioribus stillatitius hic liquor ad balneum Mariæ ex vase vitreo.

℞. Iuris agni.
Vel pullæ. lib. viij.
Nucum cupressi.
Balaustiarum.
Gallarum.
Acaciæ.
Hypocistidos. } an. ʒ. j.
S. Citoniorum.
Portulacæ.
Plantaginis.
Caudæ equinæ.
Corrigiolæ.
Lisimachiæ. } an. parum.
Polygoni.
Cap. veneris.
Centaur. maioris. } an. man. j.
Radicum consolidæ. nume. vi.

Coquantur. S. A. Deinde ponantur in dicto vase, & quò sit gratior, adduntor, saccarum rosatum & violatum, vtrunquè ad semilibram; sumatur ad vnc. ij. vel iij. aut iiij. pro ætate & hora dicta: si quis ab aqua fabrorum non abhorreret, hæc potest vtiliter exhiberi, cum portione dicti vel liquoris, vel succi, pro pueris etiam & adultis colliquante vexatis febre, & hac de causa meientibus sanguinem parati iampridem sunt trocisci ex berberis, ex spodio, ex Ramich, & huiusmodi. si dolor vexet, opiatis vtendum est, vt.

℞. Gra-

℞. Granorum pinearumm magnarum.
(Dioscorides nucleum laudat.)
Amigdal. dulcium.
Diadraganthi, quæ est tragacantha Dioscor. li. 3. c. 2.
S. Melonum.
Cucumeris.
Papaueris.
Hiosciami nigri.
Opij.
S. Apij.
Feniculorum.
} an. ℈. j.

Cum vino dulci, & lacte, seminis hiosciami albi fiat antidotus, cuius quantitas esto ad ℈. s. vel ℈. j. in pueris, semidragma in iuuenibus, dragma in viris: idem præstabit philonium Romanum, & persicum, quæ & foris admoueri possunt ex mirtino oleo, & luteis ouorum, ad illitionis formam redacta. Si in vesica vel renibus vlcus reliquatur, illud curare sedulò, & quamprimùm necesse est, priusquàm cum loco hominem contabefaciat. pro vlcere renum & vesicæ, indeq; orto fluxu hoc scribit Rasis.

℞. Sem. lini.
Sem. cucumeris.
Papa. albi.
Diadraganthi.
Amyli.
} an. q. s.

Fac trociscos cum vino albo: quibus addere etiam possumus trociscos alchechengi, trociscos ex carabe, ex terra sigillata: si grumi insunt, Galenicis auxilijs dissoluendi sunt. Vlcere autem iam vesicam depascente, immittere oportet lac & aquam fabrorum, vel vtrunq;, & mellis rosati modicum, vel aqnam vsti hordei, cum sapa aut mulsa: vel hæc simul non sine succo arnoglossi & symphiti: addendo progressu temporis. magis siccantia, vt spongiam, vt terras dictas, alumen & plumbum vstum, & id genus medicamenta, de quibus aliàs: interim etiam œnemata ex lacte & mellis rosati modico subdantur. & per os interdum casſia, quandoq; mel rosatum, violatum solutiuum, per multos verò dies asininum vel ouinum lac, thermæ item extergentes, exsiccantes, solidantes, vt calderianæ, & hæ nostræ, quæ Milzanelli sunt, propinentur, etiam pro ferculis, inquibus non improbo aquam pluuiam, quam & si Hippocrates pro sanorum victu improbat, probat Arabum princeps

pro

pro phtisicis, vti magis terrestrem, & detergentem, & solidantem. Dum autem hæc fiunt, ne interim absint localia, ex quibus illud solet esse eximium, quod ab Auice. ad penis & vesicæ vlcera scribitur.

℞. Plumbi vsti &
Medullæ. S. melonis. an. ℥. v.
Spodij. ℥. ij.
Gummi arabici.
Sem. papaueris. } an. ℥. iij.
Cornu cerui vsti.
Opij. ℥. s.
Hioſciami albi. ℈. j.
Mirrhæ. ℥. ij.

Vide aliud 9. catatop. 5. quod ex croco, aloe, ponpholige & succo plātaginis fit.

Terantur bene, & ex eis fiat collyrium cum aqua endiuiæ: sed melior est aqua plantaginis, & consolidæ: & administretur resolutum in lacte, sed calibeato, aut in oleo de granis melonum, possunt etiam vel cum lacte ferrato, vel cum aqua plantaginis & distillatione mellis rosati: possunt dico, inijci trocisci, de quibus dictū: & liquor, qui medicinas vehit, plumbeæ semper facultatis sit particeps.

De suppressione vrinæ.



QVIA aliàs de hoc symptomate, nunc dicam solùm, cum irretitur vrinæ excretio, nisi per accessiones inclinantes cesset, de puerulis actum esse: si accedat, & recedat, incusari debet igneus ardor, qui partim succos introrsum ciet, partim vesicę musculos vrit, vt nimium cum semetipsis conniuentes exprimere aquam non possint: quam suppressionis causam præter cæteras Gale. tetigit 1. de lo. aff. cap. 1. hanc igitur non liliaceo & camomelino, non oleo vllo composito, præsertim percalido, & calore squallorem augente affectæ partis, curare oportet, sed potius ipsis contrarijs, quæ refrigerant, quæ humefaciunt, quæ simul dilatant, & corroborant, vt capillis, cum oleo scorpionum simplici, hydreleo, decoctione maluarum & senecionum: violato & amigdalino dulci, cum portiuncula camomelini, vel masticini, vesicæ ergo: cataplasmata item ex senecionibus, farina hordei, nenufarino & vini albi modico. Sed omnibus præstat dulce balneum: si quis hoc malo afficitur, restincta febre: expurgandus per interualla est his catapotijs.

℞. Aga-

℞. Agarici trociscati. ℥. iij.
Reubarbari electi. } ℥. j.
Optimè maturi.
Turbith albi & gummosi. ℥. s.
Tartari albi. } an. ℥. j.
Rad. Centaureæ maioris.
Salis ammoniaci. } an. ℈. j.
Salis nitri.
Radicum aonidis.
Cicadarum exsiccatarum.
Ex melle rosato, fiat magdaleon.

Dosis est pro pueris septennibus. ℥. j. pro iuuenibus. ℈. iiij. pro viris. ℥. j. s. vsquè ad ij. bis in mense, cum per lunam licet.

De pulchritudinis idæa. Quomodo puerilis ætas pulchra, & deformis habenda sit.



DE turpitudine à variolis relicta loquuturo esset prius pro contrariorum lege agendum de pulchritudine: sed cum puerulis forma & corpore & mentis vsu 35. probl. 4. inexpolita adhuc sit, vereor, ne non pulchra dicenda sit: est enim communis omnium hominum consensio, pulchrum esse; quod in quouis genere absolutum eius generis bonitatem participat: omnia siquidem, vt sunt, ita sunt bona, & ad iucunditatē vsumquè pulchra; cum vt rebus, quà tales, bonitatem, sic bonitati vsum & quasi florem quendam, iucunditatē opifex summus coniunxerit, quam ex sacris libris eliciens pius Plato, nunc quidem, ait, ipsius boni potentia in naturam pulchri, hoc est, vt alibi dicit, iucundi vtilisquè se transferens nos fugit: adeo vt pulchritudo sit rerum perfectio, non absolutè, sed in quouis rerum ordine expleta, quæ ad vtilitatem est iucunditatemq; comparata: ad vsum, vt bona, ad iucunditatem, vt bona efflorescens, pulchra, vt bonum iucundum, bona vt bonum vtile: eademq; vtroquè honesta modo, si vsus & delectatio honesta sit: iam verò pueri in humano genere sunt rudiusculi: quia nec eorum intellectus actu intelligit 3. de anima co. 5. nec acres existunt sensu: quod intelli-

Plat. in philebo. *Plat. in Gorgia.*

telligens Aristoteles oculum iuueni, senectuti mentem adiudicat: itaquè & eorum phantasia confusa est, ab ineunte ætate, vt veteribus erat mos, distingui egens, & acui mathematicis disciplinis: huius autem ruditatis culpa in rudem deniq; spiritum refertur, qui phantasiæ ac sensui proximè ancillatur: cum enim parui pueri non explicitè hanc illamue rem formident, sed potius edant, vt Hippocrates dixit, suspiria, planè constat spiritum adhuc in ipsis confusum esse, ac turbidum, vti etiam semen, à quo non longè per hanc ætatem recedit spiritus; qui inelaboratus & ipse fit, quod & solidæ partes, quibus animæ naturæq; vis continetur, firmant, à teneris molliores & rudes, inualidæ, diffluentes, nec laborem nec vacuitatem ferentes: quod ægreferens natura ab augmento & pastu multo non intermittit, hoc remedio simul humorem & calorem maturans, & temperans: æstuant enim pueri calore multo, non tamen quolibet, sed innato, multis tamen adhuc inquinamentis scatente, quod fortassis barbari illi intelligentes, de quibus 7. polyticæ cap. 17. pueros in algidum fluuium mergebant, vt allisu frigidæ refrigerari, & extergi possent: quod etiam Naam Syrus prophæte consilio expertus facilè docet, puerum esse, quisquis fæditati culpæ se reddit obnoxium: sed Hippocrates libro de natura hominis physicè tractans naturam infantes iubet per multum tempus lauari calida, à quo dissentire videtur philosophus eosdem scribens debere frigori assuescere, vt robustiores fiant, talem autem tantumquè
» in eis calorem esse, mirum non est, cum in eis abundet humor:
» calidissima quippe & humidissima sunt corpora generationi pro-
» xima. 1. de diæta, nec in eis quælibet turget humiditas, sed crudior, calens tamen, & idcirco spumans, vti etiam origo, & semen: spumare autem, testis est conuulsio, quæ leui de causa pueros quatit, surgente scilicet spumoso humore, qui & plurimus à conuulsorum labiolis emitti solet: cum igitur rudes & immaturi sint adhuc in pueris & humor & calor insitus, solida etiam ipsa membra esse huiusmodi, necesse est, nundum firmata, non sat erecta, non expressa, sicut incipiunt in iuuentute: cui collata pueritia tota, vt Galenus pro quorundam dicit sententia, infantia dicitur vsq; ad pubertatem. Sunt igitur pueri vt animo, ita corpore imperfecti, nec adhuc pulchri, Poeta formosum vocat puerum à colore: sed comicus puellam laudans à solidis incipit, & in colorem definit. solida succi plena flos ipse. quin & idem ipse Poeta hoc idem edocens ait.

Arist. 2. de anima. 14. prol. 15. & 30. probl 4.

Hip. lib. de aere lo. & aquis.

Gale. 1. in 6. epid. co. 5.

O formose

" O formose puer nimium.
" Ne crede colori.
" Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur.

Quasi dicat, senum corpora, & si, vt ait Aristo. iam nigrescunt, facta scilicet terrestriora, robore tamen ac pulchritudine puerilia superare, cum soliditate & conformationis concinnitate pueris antecellant: quia pulchritudo magis tribuitur compositioni, sicut virtus & fortitudo magis tribuitur complexioni dicebat Auerroes & vniuersè pulchritudo est proportio, vt etiam Plato in Philebo, docuit proportio, inquàm, inter extrema membra & media. 7.phy. co.17. Quamobrem si quis flos puero, quem tamen Hippocrates pro Zeusis expositione videtur pubertati attribuisse 6. epid. sect. 1. tex. 5. vera tamen forma illi deest, cum solidæ coagmentationis formaca adhuc in eis sit illimata: ossa teneriora. nerui sine neruo. obscuri semi obstructiquè meatus. Flaccescens caro. musculi vix expressi. caput pleniusculum. crura labantia. flaccæ aures. vorax gula. ventres imbecilluli. corpus tumidulum, natura crudior. hinc balbuties, & lingua vel hærens, vel implicata: hinc vocula sine vllo graui ac virili accentu: sed acuta, & sic pro specie quædam iam in hac ætate deformitas inuenitur, quam si per enarrata symptomata delineem, prolixus sim: sunt pueri intus in lumbricos proni: Aætius lib. 5. cap. 39. & hoc idem sentit Galenus, qui partim lumbricos à forti calore ingini edocet, partim pueros eo plurimo abundare sunt obnoxij etiam eandem ob causam & calculis 6. epid. sect. 3. tex. 15. sunt etiam putredini & putridis febribus, quæ adeò deturpant humanam formam, vt ex his sint, quæ Hippocraticis oculis aspectu diræ apparent, cutem oculos, vt alias dixi, intima extima deturpantes. sed vbi perniones, vbi aphtas relinquo, vbi inflationes, vbi eruptiones & testium & genitalium? inflantur quin etiam ventre sæpius. ferè semper ranula solicitati extussiunt: & si hæc ad deformitatem non satis esse, ducimus, videamus, quæ non fœditas faciem, oculos, caput nitorem & arcem corporis præhendat. spumant vt dixi, labia, stillant nares, turgent in auribus marmorata, lachrimæ & lippitudo in oculis: & quà est ad cœlum natura erectior, in summo, in quam, capite manant achores, manat alopecia putredinem: oplyasis autem viperinam quandam acrimoniam & tupitatem: adnascuntur, fateor, his tamen, vt prænuncia, prægrediuntur non pauca, quæ vel in ipso vtero calorisquè focili nascuntur, vmbilicus hians, tumor gulæ, caput furfurosum: oculi, vt ait philosophus, cœsiusculi.

Pulchritudo in commẽsuratione.
Aætius li. 4. cap. 1.
Auer. 4. coll. 2.

ſiuſculi. Eò factum eſt, vt ætas iſthæc nec naturæ nec arti, nec Deo placuerit: Deus enim ſeniores,& regno & ſacris ſemper præfecit: natura quamprimùm ab hac ſe ætate explicat: ars verò & ſi pueros inſtituit, viros tamen & ſenes commendat. Veruntamen quia vocati à Deo,ab arte inſtituti, à natura indies expoliti perficiuntur,formam inueniri quandam oportet, quæ Deo pueros, vt innocentes, placet, inquibus medici formæ deturpationem curandam ſuſcipiunt: & hæc eadem ipſa turpitas puerilis ſpeciei gradum ſignificat: cum enim deformitas affecti pueri non tanta ſit, quanta in iuuene ac viro eſt, proculdubio nec tanta ſpeciei exiſtit præſtantia: quia contrariorum eadem eſt diſciplina: puer igitur haud pulcher, vt vir, erit, & ſimpliciter pulcher in genere: ſed, vt ætati datur, pulcher ſit, licet: ſi ad id, quod in ea perfectum eſt, accedat: nam vt in quouis genere ac ſpecie, ſic in quauis ætate, quod exquiſitum eſt, proponi debet: ita Dauid & Abſalon filius pulchri habentur in almis libris. ætates, quæ vitæ curſum metiuntur, quaternis anni temporibus, ſenectus hyemi, virilitas autumno, æſtati iuuentus, veri pueritia comparatur. quia puer ex calidis & humidis temperatis eſt in adoleſcentia ignis impetus aquæ dominatur vir autem (in reſpectu pueri) eſt frigidus & ſiccus, vt Ariſtoteles Galenusquè docuere, humidus autem, vt ait Hippocrates, ſed per accidens. eſt igitur puerilis ætas pulchra non aliter, quàm ver, quàm vireſcens & frondeſcens planta: homo enim eſt, vt ait philoſophus, planta inuerſa quam rectam plantauit Deus, arefactam poſtea, verſamquè in puluerem; quem calor in miſtione humori miſcet, fœcundat in ſemine, in embrione efformat, diſtinguit in fœtu: in pueritia frondoſum reddit: floridum in iuuentute, fœcundum in virilitate, menti maturum in ſenectute. ita enim & humor per ætates maturari eſt aptus, & calor eundem doctus eſt informare: cum enim calor,vt re idem eſt cum ſpiritu, qui ſolida exercet, vegetat,humores concoquit, in quo ſpiritu & humor eſt, cum inquàm, calor ſit corpus, & corpus mixtum, temperatum tamen, mirè cuilibet ætati partiq; accommodatur naturæ humanæ, non aliter, quàm cibus, qui varias variè tangit, & alit partes, aqueas, vt aquæ particeps, & minus vrens: igneas verò, vt igneus: non morbo, vt in febre, nam ſic non alit, ſed naturà, & communi, & alicuius propria: de qua Gale. 2. de alim. facult. cap. 6. temperiem verò talem à calore ditam talis etiam & informat,& ornat ſpeciei forma: ſic nimirum ferente cœlo, & annuente largitore formarum Deo pro fine omnium.

Vide Ariſt. 7. poly. 15. 8. polyt. 3.

Hipp. 1. de diæta.

De qua-

De quadruplici pulchritudinis causa, & qua vi calor animantium corpora exornet.

EST enim tandem pulchritudinis caracter, bonitas benè apta & proprio & summo fini, quæ conditio cum optatur, deformat, vt Adæ exemplo patet, & rem & operam: materia verò est res quælibet, præsertim homo, hominis corpus & anima: effectrix causa est intus calor, foris cœlum, & omnia in omnibus Deus ipse: proportio autem, vt in materia, materiata est causa, vt in benè composita bonitate, est formalis, quà in efficiente, effectrix, vti à fine incipit, & in finem tendit, finalis: quod eminentissimè Diuina continens sapientia pulchra dicitur, & sine macula: hæc enim, quatenus in Deo eminet, vera est bonitas, sapientia in bono est, Paulus ad Romanos 16. Et nemo bonus, nisi solus Deus: hæc ipsa vera est pulchritudo: hæc eadem cuncta & bona & pulchra reddit: vt enim animi ornatum illum nuptiali veste significatum silentio venerer, Deus per sapientiam ornauit Cœlos, qua de causa & mundus à Græcis cosmos ab ornatu dicitur: Cœlum verò suaui quodam motu & lumine, qui est in eius spiritu, elementa & mixta, præcipuè animantia, hominemquè exornat, qui vt homo ab homine, vt mixtum ex mixtione, vt lucidum quodammodo à lucido etiam & cœlesti corpore gignitur, sed vt mens à Deo ornatur per creationem: ornat autem cœlestis calor inprimis calorem insitum, qui ornatus ornat: ignis omnia ornat, dicit Hippocrates, suauis tamen, vt ait Plato: non merus ignis; sed temperatus: sicuti etiam cœli calor seipsum, ne imbecillem hanc naturam læserit, benè temperat, non actu, sed virtute calens, sic edoctus à sapientia, quæ, & si vt fortis, fortiter agit, attamen, vt benè cunctis apta, suauiter etiam, & pro cuiuslibet tactu tangit, & quod suaue item est, ac proportionis plenum, ad suos quæquè fines dirigit vniuersa: mentem hominis ad Deum, corpus ad mentem, calorem ad corpus, artes mecanicas ad caloris tutelam, liberales ad rationis informationem. Diuina quippe artifex est sapientia, quæ & sapientes viros facit artificiosos. exodi 20. & naturam, quæ in spiritu & calore inest, facit artificem, atq; doctam, omniquè, vt ait Hippocrates, arte sapientiorem: ita calor, vel vt natura, vel vt instrumentum illius, à Deo per sapientiam cœli calore & fulgore ornatus, quasi coquus quidam naturæ focis præfectus,

Genesis cap. 1.

fectus, aptè miscet, artificiosè temperat, coquit suauiter, auget cum proportione, temperatè illustrat, sapienter ornat, & structuram perficit hominis, illud in semine existens, quod natura in corpore, cœlum in mundo: vnde & æthereus dicitur, sicuti & spiritus, vt potè qui & à cœlo fit, & cœli quandam vim ac proprietatem tenet: quia sicuti cœlum, ita calor omnia mira quadam proportione exornat. & si cœlum ornat mouendo, calefaciendo illustrando, hæc pariter noster insitus prætendit calor, his gaudens, quæ etiam temperate mouent, quæ illustrant, vt vino, gemmis: cœlum vnico aspectu vniuersa subiecta tangens non æquali omnia tactu afficit, sed vim aut eius gradum multiplicat pro gradu rerum: calor item noster, & si actu est huiusmodi, attamen quadam vult potentia esse talis, vt pro varietate obiecti humoris varios depromat vel gradus, vel modos caloris & luminis. & hoc est, quod pulchrè philosophus aliquando scripsit. inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, quod calor vocatur, idquè non ignis (nempè merus) non talis aliqua facultas est, (quæ non ornet, magis verò turpificet, atretquè corpora:) sed spiritus, qui in semine spumosoquè corpore continetur, & natura (ecce artificem) quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum, inter corpora supremo artifici: cœlo autem eminet sempiternus, qui est verè pulchrum & Diuinum illud, quod sua natura causa est melioris conditionis in rebus, vt in specie, sic in ætate atquè temperie, qua cuiq; cuiuslibet ad sapientiam & fœlicitatem vtendum est: alioquin turpitudo corpora animosq; corrumpit: contrariorum siquidem contrariæ sunt causæ: igitur & corporeæ turpitudinis causa erit, cœlum graue, humores noxij, mala temperies, inconcinna forma quoad numerum, magnitudinem, confirmationem, hancquè in figura, superficie, meatu, & cauitate.

2. de gener. anim. 3.

2. de gener. ani. 5.

PVLCHRITVDO PVERORVM, ET EORVM TVRPITAS EX morbo orta describitur,

Et tribus problematis satisfit.



RGO in pueritia rudi ætate, non indecorum, sed pulchrum est, hominem calere, & scatere humido, & eo etiam spumoso. primùm etenim non procul abest à spuma, vt dixi, & æstu seminis: deinde id ad vitæ progressum facit, quem multi & humoris & caloris beneficio alma parens prætendit. huc accedit, quòd cum varia ætas varios mores postulet, quos & rhætores persuasionis causa obseruant, variè etiam sit temperata, necesse est. at puerilis ætas mitior est, excandescentiæ nescia, facilis, instabilis, prompta tamen: iure igitur calidam humidamq; temperiem cooptat. promptitudo enim caloris est, humoris verò facilitas, & vt ait Hippocrates instabilitas: hocq; simul eruditionis est, vt si quid mali, ad quod homo ab ortu est pronus, contraxerint, facilè excutiant, promptè disciplinam suscipientes, est igitur per hanc ætatem concinna hæc intemperias: Hanc primum sequitur sat bona coctio: deinde valida expulsio, quod apprime obseruans expertus senex ait, qui pueri fusam aluum habent, & benè concoquunt, ij saniores viuunt. quibus autem modicè pro fluit, & voraces sunt, & non pro ratione similiter nutriuntur, morbosi: tertium, quod ex tali tamperie oritur, est probus color, illi contrarius, qui corporis turbatricem cruditatem & apepsiam insequitur. Quartum est meatus satis liberi, non obstructi, mollis venter. Quintum splendens quædam, tersaq; superficies, vt in nouellis arboribus, in quibus & cicatrices facilius complanantur, quàm in vetustis iam diutius terra vsis, & veluti abstrusis à lumine medelaquè superorum: septimum figura mollis, hilari & sincero in vultu, qualē nos gestare animo percupit Deus. Hæc natura, hæc pulchritudo est puerorum. è contra verò morbida & turpis est conditio, faciē & superficiē fædari, nauiter & meatus obstrui, & tumere corpus, aut, vt

Arist. li. de dentitione.

per hecticas senectutis fit, contabescere, quæ turpitates calore fiunt & humido vel exundante, vel pariter intabescente: sed interna hæc mala propriè ad decoratiuam non attinent, cuius est, quæ oculis patet, formam curare, calorem dico, pustulas, potissimùm vlcerosas, sicut in lepra, cicatrices, tumores, capillorum vel casum, vel inconcinnum modum, quæ tamen non propriè deformitates, sed inconcinnitates dicendæ sunt: sicuti etiam à Philosophis moralibus decentia non vera bona censentur, quæ non intus perficiunt, sed extra ornant, vt diuitiæ nobilitas, potentia; Huius autem, quæ variolarum iniuria contrahitur, turpitudinis causa formalis est temperies & conformatio minimè accomodata ætati huic: materia homores praui, calidi potissimùm, sicci, acres, ichorosi, biliosi, & ex his, qui, vt crassiusculi, post alios manent in corpore: effectrix autem est alienus calor, partim à febre intus relictus, partim etiam num in cœlo vinges. Hinc tria problemata illustrantur. sacrum vnũ, reliqua medica. primùm est, cur pustulas in pueris Deus sic detestetur. secundum cur in facie potissimùm variolæ, in præputio cicatrices etiã maiusculæ relinqui solent. tertium an aliquando variolæ sint cessaturæ. Ratio primi est, quia, qua potissimum ætate dulcior & nitor & animi & corporis debet esse conspicuus in ea acrimoniã & fæditatẽ videri, est graue præsertim in facie, & voluntate, quam nitidã Deus exquirit, vnde & medicis oculum & faciem in puero fœdatam vidẽtibus, magna opus est diligentia, nequid detrimenti nitor hic patiatur. Causa secundi est, quia pudendum calida & humoris plena est pars, atq; laxior, hacq; de causa tùm influxionibus peruia, tùm verò proprijs obnonxia corruptionibus. caput verò elatum membrum meta est surgentis bilis & humidi ampullosi: cum etiam constitutio aeris variolas ferens subaustrina sit, facilè ea & caput, & venereas partes afficit: iam & cicatrices variolarum inpudendo sunt maiusculæ, quia & laxitas iu pudendis pariter maiuscula naturà quæritur, vt nutu Veneris, quam idcirco præmollem veteres pinxerunt, comprimi, & dilatari possint, cum etiam in eis ob natiuum caloris & humidi excessum putredo quædã maior concipiatur, iure & acrimonia, & idcirco etiam corrosio, & corrosionis vestigiũ cicatrix pertinax necessariè relinquitur. Quid non igitur, inquies, minor in capite putredo, & corrosio visitur, cũ ea pars sit frigidior? equidẽ, si spectes putredinẽ: nam & si putrefacto circa osa maior esse dicitur ab Aristo. attamen hæc sententia cæteris paribus debet semper intelligi: alioquin putredo incapite maior esset, quàm in venis & in

Aristot. 7. æth. in fine.

pudendis: quod tamen esse falsum & quotidie vsu comperio, & ratione adductus credo, cum hæ partes calidiores, cerebrũ verò menti addictum natura sit frigidum: & idipsum etiam sentire Hippo. & Gale. puto, qui magnas in pudendis contrahi putredines, affirmarunt. Ergo duplici de causa in capite cicatrices variolarum magnas videre est, prima est, propterea quòd bilis tenuior eò ascendit. ea verò est etiam acrior, magisq; vlcerans, cum humorum tenuuium sit vlcerare. Secunda verò in diutinam succi eo in loco moram refertur: vbi ob frigidam eius loci temperiem non nisi tardius maturari, & extergi potest. Quod verò ad tertium pertinet, respondeo, si cessare potest calida humens & spumosa temperies puerorum, si auster supprimi, austrinæq; tempestates, si mutua benè validi agentis obnoxijq; patientis consensio irretiri, posse etiam aliquando ab humano genere fædam hanc pustularum speciẽ exulare: & si gallicus semel tantùm ex propenso vel scorto, vel loco, & propemodum nouo cœlo exortus, non tamen per tam varias tempestatum vicissitudines intermittit, vexare humanum genus, variolæ, quæ non ita peregrinam, sed frequentiorem ægnoscunt causam, statamquè satis, austrinam scilicet, quæ quotannis ferè non viget, quomodo prorsus abscesserint? gallicus remissus est alicubi, non diffiteor, attamen non restinctus: & ipsæ igitur remittentur. concedo alicubi, & quandoquè, at non semper, & vbiquè cessaturas censeo: cum enim ille adhuc vigeat, & eæ nunquam non inflabuntur. & si gallici morem ac progressum considero, ita opinor, res se habet. cum principiò morbus irrepsit: ars aberat curandi: cœlum tamen illud fœdum non aberat, quo inuito nec gini potuit. at nunc auræ non ita, vt aiunt, à tota substantia id mali spirant: ars quinetiam iam est ad hanc ipsam luem reprimendam instructior. ex tot deniquè hominibus, qui in tanta mali huius grassatione ab eo corripiuntur, multos inuenire est, qui vt parum obnoxij, mitiorem etiam hanc fœditatem experiantur: nihilominus & nunc, si quis negligenter curetur, nimis hercle pessimæ huius impuritatis typum ostendit, à pilis ad dentes vsq;, & ossa infractus. Sed iam medicamentis & arte nitorem restituamus.

Hippo. & Gale. 3. de vulg. mor. temp. 3.

De cu-

De curatione affectionum, quæ post variolas & variolosam tempestatem infestant.



QVI post variolosam aliasquè graues tempestates laborant, plerunq; deterius habent, & hos plerunq; Hippocra. vt grauius affectos, post tempestatem refert: si enim insequentis cœli iniuria afficiantur, facilè declarant, seipsos, vt magis illi statui obnoxios, sic prius quàm cæteri, & grauiter etiam laborare; sinautem anteacta tempestas noxam tulit, grauem esse oportet, quæ vel in minus obnoxio tandem vi causæ & protractæ & grauioris contracta sit, vel in propenso diutius delitescens veneni cuiusdam vt ait Galenus, acrimoniam & vim contraxerit. Quo circa huiusmodi ægrotantes acri pariter manu curandi sunt, dulci tamen: acri, vt venenum acre fortibus reprimatur; dulci autem naturæ causa, maximè puerilis, quæ moderata dulcia amica postulat: talem ergo curationis diligentiam exigit etiam decoris corruptio, quæ post variolarum fæditatem est reliqua; in qua obliteranda arti strenuè nitendum est: quia quod natura corruptior peruim intimam committit, quod importunum & graue cœlum haud magno nixu, sed virtute infesta inuehit, artifici, qui foris agit, tractandum est maiore nixu, ne quem ornatum sol & homo, natura Deusq; ipse componit, ars segniter castigandum suscipere, videatur: in magnis quippe satis est voluisse. in magnis morbis refert à magnis ordiri, vel
„ auxilijs, vel propositis: alioquin cum orta ex principijs sapiant
„ naturam suorum principiorum, segne & iners principium similem
„ etiam finem parit. In primis autem vestigia variolarum reliquæ superficiei æquanda sunt: hoc autem vsu venit, vel cicatricum exesis labiolis, vel expletis earum cauernulis, vel vtroq; impleto: decor nimirum pulchri præsentia absentia turpitudinis constituitur: sed foueas non est implere, nisi deprimantur calli, qui circumiacent. hoc igitur inprimis præstandum est, in quo & potissimùm, qui de hac re scripserunt, Paulus, Aætius, Rasis, Auicennas & alij videntur laborauisse, non nihil tamen alteri eriam scopo, quamquàm non adeò distinctè, satisfacientes: id quod etiam in vlcerum & percussionum notis tractandis receptum est, non solùm vt medicamen-

Gal. 3. in 3. ægro. 4.

De variolarum nō vestigijs complanandis.

ta hæreant, ſed etiam vt turgida euadens caro loculum illum ina-
» nem impleat: qua ratione adductus Raſis dixit, butirum illitum
» prohibet maculas præterquàm quod corroſuram acrimoniam præfrangit. Hinc ſequitur, quæ authores proponunt ad vulnerum veſtigia diſsipanda, ad ſtigmata, ad lentigines, ad rugas & aſperitatem faciei, variolarum etiam cicatricibus profutura; fortioribus ommisſis, ne vultus formam corrumpant magis: huiuſmodi autem ſunt ſcalpellus, calx, ſulfur, columbinum ſtercus, præſertim diuturni ſitus. Et quando Auicennas ex his, quæ cicatrices delent, fortia conferre ſignis variolarum ſcribit, non in vultu, non in affecta vlla parte, ſed in affectione ſcopum hunc erigit, neque hunc ea ratione ſtatuit, quòd fortioribus variolarum turpitas egeat, quàm vera cicatrix plagæ, quæ dubio procul magis & alta & curatu difficilis eſſe poteſt, quàm hæc propoſita, ſed hoc ita docet, vt & ſi variolarum rugas vix ad planitiem poſſe reduci, conſtat, attamen quæ medicamenta vulnerum impresſiones magis obliterant, eadem obſcuras ſaltem puſtularum formulas delere poſſe, non deſperemus. ſed addendum, fortiora hæc eſſe vſui, niſi cicatrix in vultu ſit: cui ne ſacro quidem igne exardeſcenti medicamentũ Gale. admouet: quo minus ignea & exurentia? niſi vel adeò miteſcant, refracta contrario, vt non exurant, vel ipſamet benigna ſint, vnde inter ſtercora probari ſolent tanquam mitiora, ſtercus paſſeris, lacertæ, talpæ. Deniquè illud addo, nunquam intermittendum eſſe ſtudiũ ſatisfaciendi ſcopis propoſitis: prius tamen magis detergendum, quàm humefaciendum, deinde è contra: ergo primum facies abluatur decocto furfurum, vel erui, quo Hippocrates ad ſolares maculas vtebatur; vtendum etiam decocto ordei, lupinorum, fabarum, amigdalarum amararum, orobi, ariſtolochiæ, ircos, radicum a-
Aætius li. 14. ca. 24. rundinis; quo fortior eſt aqua ſalſa & nitroſa, efficacisſima verò bituminoſa, nam bitumen, teſte Aætio, extergit, & vlcera etiam cruenta glutinat: hac de cauſa & diſſenteriæ & cruentis malis conferens: ſi ſapo aquis immiſceatur, erit per vtilis. ablutus poſtea & exterſus locus molliter tangatur vnguento iſto.

℞. Litargirij albefacti. }
Nitri. } an. q. s.
Amigdalarum amararum. }

Et ex melle ac medulla panis perunge loculos.

Aliud Raſis. ℞. Farinæ ciceris. ʒ. x.
Farinæ lupinorum. ʒ. iij.

Coſti

Costi dulcis.
Merdasengi dealbati. } an. ℥. j.
Hoc est litargirij.
Lapidis inuenti in pipere. nume. j.
Contrita vsui sint cum aqua ordei.

Aliud. ℞. Amyli frumenti.
Amigdalarum expoliatarum vtroq; cortice. } an. ℥. ij.
Costi dulcis.
Dragacanthi. } an. ℥. s.
Radicis cannarum. ℥. iij.
Seminis melonum non excorticatorum.
Fabarum siccarum excoriatarum. } an. ℥. iij.
Farinæ ordei.
Croci. ℈. j.

Terantur optimè, & per sericeum linteolum transmissa conformentur ex succo corticum citrangulorum, & rosarum aqua: quod remedium noctu immanens, mane eluatur decocto camomillæ, meliloti, & violarum. ad idem laudatur ozymum, sal, & mel. cui assimile istud erit.

Thuris.
AEris vsti. } an. ℥. j. s.
Cum melle rosato fiat lenimentum.

Aliud. ℞. Nitri.
Ammoniaci. } an. ℥. j.
Mirrhæ.
In puluerem redacta cum melle misceas.

Aliud. ℞. Farinæ fabarum.
Orobi.
Lupinorum.
Ireos. } an. partem. j.
Thuris.
Cornu cerui vsti.
Salis ammoniaci.
Amigdalarum. } an. p. tertiam.
Dragacanthi.
Gummi. } an. p. quartam.
Cum albo oui, vel lacte, aut melle fiant trochisci.

Aliud ℞. Litargyri abluti.
Mirrhæ.
Ammoniaci.
Salis ammoniaci.
Nasturtij. } an. ℨ. s.

Contrita cum melle vel sapa misceantur.

Potest etiam nasturtio, vt ait Auicennas, fricari facies, potest similiter sale, nitro, & alijs dictis: sulfure calce & stercoribus non vterer, nisi quam fractissimis, vel aceto, more Auicennæ, vel aqua solatri: illisq; in linteolum coniectis extererem rugas illas dexterrimè, & à fricatione inungerem hoc vnguento locum.

℞. Aloes. ℈. ij.
Pulpæ colochyntidis. ℈. j.
Castorij.
Sulfuris vel fellis cuiuspiam.
Aeris vsti. } an. ℈. s.

Quàm minutissime fracta cum modico mellis & saponis liquidi ad illitionis formam redigito. huiusmodi ergo medicamentis sæpè vtendum est, & permultos dies, quæ vicissim detergi debent decocto dicto: cumquè iam aliquid decalluisse callosos angulos patet, ad implendas descendendum est foueas pinguioribus, non sine tamen his, quæ siccant: ad cicatrices vlcerum laudatur oleum de been dictum, cui puto assimile oleum ex amigdalis amaris. laudatur succus radicum arundinis, & vitis albæ, qui cum melle, oleove ebulliant, donec spissescant: ad idem.

℞. Farinæ orizæ. vnc. j. s.
Cerussæ. ℨ. iij.
Tutiæ. ℨ. j. s.

Cum succo citri fiat vnguentum.

Possunt etiam vsuuenire adipes, vt asininum, agninum, & illud pomata dictum cum aliquo exsiccante; in vsu etiam est auena, potest vtiliter admoueri pars butirosa lactis cum nitro, vel quod satius esse reor, cum aloe, croco, sarcocolla & alijs carnem augentibus, quæ & sola trita tamen admoueri possunt; & dum his vtimur, artis est refricare locum, vt accurrat sanguis. Quod si complanandi ratio non satis confert, redeundum est ad angulos exterendos: & summum est, si hisce oleis per bombicem tangatur locus.

℞. Olei ex sulfure.
Ex calcantho. } an. ℈. s.

Olei ex croco. } an. ℈. j.
Ex mirrha.
Olei amigdalarum amararum. ℥. j.
Violati. ℥. iij.

Misce, & deintegro faciem frica; & si colophonem adire vis, picem & rhesinam liquidas cauernulis admoue, vt tractus sanguis impleat: sed hæc valida non nisi adultis conueniunt, mitiora inefficatia sunt, illa periculosa: ergo satius est, vti præcautione, vt scilicet principio acrimonia reprimatur, postea vero quàm celerrimè datur, maturescant, pustulæ expungantur, abstergantur, expientur, inspersis, quæ dicta sunt in proprio capite: deinde additis antequàm cicatrix videri, incipiat, additis, inquam, quæ carnem vel augent, vel asseruant molliusculam: sed à cicatricibus ad capillos surgamus: quos nec prouida negligit sapientia: horum concinnitas faciei honestat formam, sicuti etiam pia cogitatio maleficia extenuat: veruntamen, si cadunt, decor est intimus naturæ, eà emandantis, quod acrius & tenuius inest in sanguine: cuius rei testis est color ille erisypelatosus, qui cum casu pilorum in multis visitur: si verò euanuerunt iam, ornamenti est præsertim in puellis, nouos quamprimùm alere: quo in studio non tanta est opus arte, quanta in gallicis: nam& fuligo proba illa non optatur in pueris, nec molliusculæ cutis meatus non satis patent: ergo vt innumera, quæ à Gale. Rasi & Auic. scribuntur prætercam post vsum ordei & aquam ordei ad capillum veneris pro potu, post fricationem cutis eius lauandum caput molli aqua, in qua & agrimonium & capillus veneris, & liquiritia, & lupini incocti sint, dulcesquè amigdalæ cum mellis, vel proditioribus, saccari tantulo: hoc remedium speciei etiam capillorum consulit: Demum & coloris faciei castigatio quærenda est: vt si capilli curti, si vestigia quædam pustularum aspectum lædunt, is à coloris pulchritudine honestari possit: qua in arte primas tenet ea, quæ decolorant, auferre. Secundas autem vsus eorum, quæ in facie veluti efflorescunt: ex his autem, quæ formam istam corrumpunt, alia intima, alia extima esse, inuenio: hæc aer sunt & fœditas superficiei, illa verò vel malus pastus, vel eiusdem indigentia & tabes. malum aerem, qui ad tutelam iam non aufugit, nec immutet causa conualescentiæ. fæditas autem superficiei adhuc est bipartita; vna cutis faciei propria, altera verò alienæ, vel cutis, vel sedis: faciei propria est perfusio quædam intima humoris vel biliosi, vel pituitosi, vel mixti, quem per ea discusseris,

De capillis restituendis.

De colore faciei corrigendo.

quæ

quæ & vibices diſsipant,ſtigmata delent,extergunt lentigines: aquã fumariæ & maluarum, in qua agarici aliquid infuſum ſit, hæc optimum diſcutiens erit,ſi ieiunum molli & perfuſione & tactu ablueris. corrumpitur etiam faciei forma ob fœditatem remotæ pellis, maxi mè axillarum, quando à variolis extumeſcunt, ſicuti etiã pudenda, & crura: qui tumor ſi vel flatuoſus,vel œdematus eſt, excutitur his, quæ in capite de inflatione iam dicta ſunt;eſt enim duplex,vn Gale. docet,inflatio; vnam ſpiritus,alteram muccus & pituita obducit:ſin autem tumor hic ex œdemate & igne ſacro conſtat,hunc prius diſsi pare,illum poſterius, ſapienter fit:curatio vulgata eſt. pudendis ſic affectis, vena ſecatur tali, ſi æger ferat: cataplaſma etiam ex coctis maluis, ordei, fabarumq; farina & ſucco fumariæ vel luppulorum paro: quod & cruribus œdematoſis admoueri poteſt, addito aceto, & nitro; ſulfur pro paruis pueris eſt nimis validum: ſi autem tumor ſit phlegmonodes, durior, ſubrubens, inflammatus, repellendus quidem non eſt,quia humor malus eà expellitur,qua ratione adductus Hippocra. illud decreuit, tumores vteri à partu ſtringere non oportet: ſed primùm mitigandus: deinde maturandus: & ſi per eius tenuitatem licet, diſcutiendus: ne vel inciſus, vel ſponte hians in vlcus curatu pertinax deſinat: vlcera enim ſiccantibus curantur, at è contra pueri nimio & humore & cibo ſcatent: extenuatione autem opus eſt magna.

Gale. 4. acut. 21.

De inflatione ac tumari axillarũ crurum pudendorũ.

1. de mor. mulierũ.

Vt ſi capias Farinæ ordei. p. j.
Farinæ orobi. p. s.
S. Pulueris ariſtolochiæ. vnc. s.
Et cum oleo roſato efficias medicamentum.

Quo fortius erit hoc. ℞. Aceti. lib. j.
Rad. Maluæ.
Altheæ.
Brioniæ. } an. vnc. s.

Fiat decoctio pro perfuſione tumentis loci. ſi ad Illitionis formam placet reducere.
Addas mollitiui.
Vel dyachilon aut ſimplicis aut cum gummis. an. q. s.
Pro vnguento.

Si phlegmon ſit œdematoſior, & frigidior, vti licet hoc diſcutiente.
℞. Aceti ſcillini. vnc. iij.
Rad. naſturtij.
Cucumeris aſinini.
Ciclaminis. } an. ʒ. s.

Cucumer asininus ad testiũ tumores à Celso proponitur: cucumer asininus ad hydropem ascitem, ad ducendam aquam, ad comitialem, ad discutiendos tumores aurium ab Auice. Rasiq; laudatur. *Celsus lib. 6.*

Ammoniaci.
Litargirij lothæ. } an. ℥. j. s.
Lapidis marchesitæ.

Cum farina ordei & oleo ex terebynthina fiat vnguentum, quod vel scrofulas non parum exterit. His itaq; partibus expiatis, magna etiam ad faciei decorem virtus accesserit: nec ab re est inter ea, quæ pueros malè fascinant, fœda nutrium vbera recensere: si enim nutrices duræ à tenellis infantibus; ij multò magis ab eis contaminari, possunt: præter cæteras autem fœditates papillis caruncula supercrescunt calida cum intemperie, quas ego post expurgationem corporis ita curo. *De fædis nutricũ papillis curandis.*

℞. Vnguenti rosati Mesue. } an. vnc. s.
Refriger. Galeni.
Plumbi vsti. ℥. j. s.

Cum succo plantaginis & semperuiui fiat vnguentum, cui aliquando antimonium præparatum ad ℈. ij. vel iij. addi potest. De vlceribus malignis mammarum & excrescentijs carnium vide Paulũ lib. 3. ca. 23. vbi præter cætera medicamentum componit ex aloes. „ & thuris. & mirræ an. ℥. j. misios. ℥. iiij. aceti & rosati. q. s. „ cui assimile est & illud. nitrum æqua inundans calida, vna cum „ squammula æris, & sandaraches aquis partibus: crusta vero obducta melle repurgatur. lib. item 3. cap. 35. aliud medicamentum refert, quod est Archigenis: tu vide: sed vbi vlcus & excrescentia cum calida intemperie complicatur, vt in hoc casu, frigidiora adduntor, vt succus solani, ribes, polygoni, & similium. hæc de his, quæ vultus colorem turpificant ex pelle vel aliena, vel remota à vultu: proximè autem atq; intimè coloris pulchritudinem cor„ rumpunt oculi malè affecti: si enim oculorum conditio totius corpo„ ris statum demonstrat, quid non ijdem malè affecti & vultũ pariter „ malè affectum indicent? at hoc fieri nequit, nisi oculus capitis culpa læsus vnà vultũ & ipse vel malè fascinet, vel deturpet, vt malus socius, vnde subiungit senex relato loco, sed & color in peius aut melius vergit &c. ac de oculis quidem dictum: quod superest, sunt vngulæ, scabies & albor: de quibus curandis nil dicam, cum à medicis ben[e] curari soleant: ad operis finem propero. hoc tantùm dixerim, ca[pi]ta puerorum esse primùm quam diligentissimè expurganda, & [p]er os *6. epid. sect. 4. Oculi colorem faciei turpificant.*

x per

& per nares, & per aluum, priusquàm oculis vllum remedium accommodes: quæ & frigidiora oportet sint, vbi cum deformitate oculi aliquis rubor adhuc coniungitur, qui & frigioribus mitigandus est, cum abscessus est ardentis febris de quo 4. epid. quàm vbi

6. epid. sect. 2. tex. 32. „ minus vrens febris præcessit. Huic addo illud Hippocraticum oculis rhiade laborantibus si aliter videtur conducere, in fauces retrahere oportet, quod fit acribus, vel commansis, vel gutture excep- tis. non conducit autem in subcorruptis, & subtabidis pueris, quibus periculum illud imminet, cuius nos admonet in eius loci expositione Galenus noster, ne scilicet in asperam arteriam vel pulmones fluxio conuertatur. Tertiò si verè rhias affectus ille oculi, de quo lycus referente Galeno, puerum detinet, curandus, auerso fluxu, ablata causa, quæcunq; sit ex illis, quæ eo in loco explicantur, vtillimum erit puerulis pillulam ex aloe & cartamo, grandiusculis ex aloe & agarico exhibere à cœna: & si cum oculi turbatione facies rubet, sanguisugis capiti post aures exhaurire fermentum hoc calo-

Rasis lib. 25. cap. 11. ris & coloris mali. sicq; etiam caloris gratiam, vt docet Rasis, conciliare, oculos mansuefacere, quos citra hanc euacuationem aliquando curari haud potuisse, vidi, quin per interualla efferatos, accensosq; non sine febricula & semitabe quadam miserorum puerculorum, qui sic affecti nec somnum pro ætatis genio capere, nec benè comedere possunt, & coquere: aliquando etiam necessaria est inustio occipitis: ergo his peractis tutò locus leniri poterit vel lacte, in quo nitrum, vel pro infantulis saccarum infusum sit, pro vsu est etiam aqua rosata cum aqua eufragiæ, vel celidoniæ, vel feniculi, in qua argentum & thuris cortex sat diu manserit: vtor etiam melle rosato distillato: & si opus est, infundo feniculi semina, vel sclareæ, aut, quod efficatius est, rutæ: & si quærantur maiora, addo aloen, fel aliquod, mirrham, & aliquando stybium præparatum, linteolo excepta, & ea contrita primùm, deinde infusa: & his leuiter ocellos tangi, iubeo: fuere aliqui, pro quibus curandis in consultationem venit guaiaci, vel salsæ, & chinæ vsus. Hæc de oculis.

De fœtore nasi ac gutturis. Sed & guttur magnam aliquando turpitudinis causam respirat, fœtorem ipsum, sæpenumerò communem cum naribus, hunc irino oleo est compescere: eum vero odoratis pariter oportet reprimere: hæc autem infantibus per papillam digitumve lacte respersum exhiberi debent; sed cauendum ne sint amara, vt citri cortex, & seme.: ab his enim abhorrent pueri, lignum aloes, nardi spicam, squinantum, cinnamomum carpobalsamum xylobalsamum cum

albis

albis santalis pro diuitibus eligo: pro pauperibus odoratas herbas, vel ex nostratibus, vt pulegium, tymum, melissam, mentam, maioranam, serpillum, radicem rhodiam, charlinam: vel peregrinas, vt origanum orientale & id genus; sed altius turpitatem hanc indagemus, vt radicitus euelli possit semen hoc fœdum variolarum: fœtor sæpe à lumbricis est: quorum notæ sunt oculorum & faciei turbatio, præsertim cum os petunt ventriculi: prurigo nasi: item, vt Auicen. & Rasis docent, inappententia, ventris dolor, extensio, tremor cordis, oris quasi mandentis modus, stridor dentium, saltus, epilepsia: hos igitur oportet, si iam vrens cessauit febris, amaris & acribus interfectos explodere. interficient autem eos nitrum & cyminum: item mirrha & nasturtium, authore Dioscoride, quem sequitur Auicennas. ruta item, cardus benedictus, dictamus, scordium, corallina, bistorta, galega, lumbrici metipsi assi & tusi, quos, ni fallor, cum galega miscent, & venditant empiryci circulatores: in adultis optimum est amuletum vetus theriaces: si hæc recusent, lupinos edant, & in algida tempestate allium, ascaloneas: in calida oxalydem, cicorium, vel pro ferculo, vel pro acetario, vtantur etiam acidis malis, & nisi aluus infestet, aceto acri: ita enectos eijcient perbellè rhabarbarum & agaricus, & ex admotis theriaca illita ori ventriculi, quæ & fætori prospicit, atq; putredini, quæ, si quid aliud, maxime formam corrumpit & coloris & temperiei & conformationis, putrida enim pallescunt, liuent, atrantur, putrida hument, arescuntq;, algent & frigent: putrida deniquè obstruuntur, tument, exulcerantur: & quemadmodum putredo prohibet, quominus pulchrè alatur animans: ita hanc foris aer, intus verò cacochymia excitat, hanc verò mali cibi, intemperies viscerum, imbecillus calor, obstructiones aggregant, in splene quidem atrantes hominem, in iecore autem pallefacientes & inexplicabili quandoquè corruptelæ forma cutem, vt ait Galenus, turpefacientes, ergo à totius expurgatione obstructionibus reserandis studendum est: trita sunt remedia, & acida, & acria, & diuretica, quæ plus minus fortia quæruntur, prout à ventre disiunctior est obstructa sedes: varia etiam illa sint oportet pro varietate humoris, qui obturat: acetosi syrupi compositi in hac opera excellunt. Si quid restat cacochymiæ, hoc corrigendum: vt cachexia suis auxilijs, rhabarbaro, agrimonio, diacurcuma, dialacca, carlina, & id genus: impuritas autem expiatur cũ euacuantibus, de quibus sæpè dictum est tum alterantibus & medijs, vt sero, iure galli, quod abluit, detergit,

Fœtoris & coloris à lũbricis illati curatio. Vide Auic. cap. de inappetentia & cap. de lumbricis.

Coloris fædi à putredini obducti curatio.

Gale. 5. de lo. aff. 7.

tergit, & vnà etiam expurgat: alterantia verò alia temperant, vt portulaca, solanum; alia & temperant, & naturam ad expellendum solicitant, vel aquea vi, laxando vt melones, cucurbita: vel calida facultate in materia tenui satis naturam penetrando, vt apium, feniculus, petroselinum, seseli, daucus, ammeos, caruus; vel acida vi stimulando, vt acetosa: vel citra amarorem extergendo, vt ordeum, beta, vel cum amararore idipsum faciendo, vt absinthium, vel cum absterfione apertionis calorisq; quandam vim adiungēdo, vt fumaria, luppulus, quæ & propriè expurgandi sanguinis facultatem habent, cū & detergant, & calore turbent: cum enim amara extergant, & vt cibo contraria, etiam perturbent, præsertim si plusculum existant calida, bipartito expurgant sanguinem, nempe detergendo, & perturbando per vim caloris: adeo vt turbata expultrix malos succos eliminet: quò igitur vel amara magis, vel certè calida, eò magis & extergunt & turbant, & naturam solicitant, vnde non solùm per sudorem, vt ordeata, sed per vrinas, vt quæ vrinam prouocant. quinimo per aluum etiam corpus expurgant, vt absinthiū, fumaria: amarissima autem vel laboriosè aluos solicitant, & hæc sunt pharmaca, & ex venenis multa, vel, quod deterrimum est, pustulas excitant, & ipsissimum quandoq; sanguinem, siue erodendo, siue mera fædi æstus acrimonia stimulando (hæc nauiter dileteria sunt) è venis hauriunt: non his autem, sed primùm dictis vtendum est. vel succis vel decoctis, permixtis tamen, ne calidis calida iecoris intemperies æstate augeatur: quo tempore per interualla caprinum serum exhiberi potest cum succo fumariæ & luppulorum ac mannæ modico, aut syrupi ex rosis, qui soluit: si quis melancolicus magis sit, addatur in serò aliquid polypodij, vel sennæ: si pituitosior, addatur cartamus: hunc in modum cacochymia fœdi coloris causa superata concedet colori bono. quando autem non nutritur æger, vt fit in atrophijs, tunc & huic symptomati ornatus causa occurrendum est, si calor præ obstructionibus aut frigida causa marcescit, trochiscis ex eupatorio, ex rhabarbaroque recreetur, & inprimis, nisi puer sit, vsu theriaces, qua prisci incerta de causa tabescentes curabant. Sed ab his adeo calidis abstinendum, cum vrit æstas, tunc potius est vsus confectioni diarrhodon & diatrion sandalorum sine rhabarbaro: Si autem à causa calida confectus squallet, non reijcio confectionem ex triasandalis sine rhabarbaro, sed tamen nil sero, nil lacte, nil balneo dulci præstantius, ad quem vsum possunt etiam exhiberi iuscula, vt edinum, agninum, pullæ albæ, vitulinum,

linum, in quo luppullus, agrimonia, cetrach, borago, liquiritia, endiuia, vel cicorium, hepatica, semina frigida, passulæ ebullierint. His autem obliteratis, quæ typum mali coloris imprimunt, concinnus excudi debet: in humoribus quidem, vt in materia pastuq; spiritus, & solidarum substantiarum: in solidis autem, vt in pariete ac continente, in spiritu demùm & calore innato, tanquàm opifice: qui & ipse non omnino coloris, lucis, ornatusq; expers est, cum enim is & à cœlo sit genitus, quod corporum corporeæq; pulchritudinis elementum est, cum idem calor carnem, & cætera distinguendo, & coquendo, rubrificet, coloret ornet, huic primùm decor aliquis est necessarius, non vtcunq;, sed vt calor calidum & perspicuum quoddam est, nam vt calidum coquit, vt perspicuum terminatum tamen colores format: quia color actus est corporis perspicui terminati, quatenus perspicuum 2. de anima tex. co. 71. & Alex. 1. quæstionum nat. cap. 2. nec aliunde color solidis accedit, quàm quodam ex lucis termino, qui vna cum ipsa primùm in spiritu & calore inest: & si enim perspicui terminus finitur patetq; in solidis, tanquàm in pariete ac speculo, per quod obijcitur videntibus, quod tamen colorem habet, non aliter obtinet, quàm vt spirabile, & lucidum terminatum, mixtum tamen, sicuti Aristoteles Auerroes alijq; docuerunt, ex terrestri opaco, & lucido aereo, ad quod igneum etiam refertur, vti etiam ad aerem ipse ignis. ornat itaq; calor colore corpora, quatenus & ipse colore ac luce ornatus est, sed vt dixi quodam cum atro mixta: & quid obsecro est per verecundiam rubor, quid in metu pallor, quid flos corporis per floridam valetudinem, quid per luem funestam liuor & nigror, nisi calor & spiritus modò fusus ac splendens, modò introrsum versus, isquè idem aliàs virtute florens, aliàs verò intabescens, atratusquè? si non vt solida, saltem vt vapori licet, qui oculis non adeò patet, sicuti patet color, obiectum visus, vt si coloratus actu non est, potentiam coloris habeat, cum ipsas, non sine succis 1. de hnmo. tex. 1. coloret carnes: cauendum igitur, ne quando deturpatus turpificet: colorat enim vel aptè vel perperam, prout eius & substantia & temperies, prout viscerum constitutio, item alimentum, & coctum, & oblatum ad hæc somni, exercitatio & ipsum deniq; ambiens moderata vel nimia sunt: exercitatio quippe & solidum corpus, & caloris motū eum, quo ille intruditur, tēperat, atq; roborat. Ex aduerso somnus eiusdē effusionē frenat, aer autē pastum, temperiem, & substantiā spiritus potissimùm ipsius & caloris per anni tempora quodam in-

Calor & spiritus colorē & lucem participant.

dam inæquilibrio tenet, crassiore cibo crassiorem etiam sanguine pastum ferente. ad hunc ergo ornatum, post primi ornantis cœli dico, benignitatem, aer optetur frigidus & siccus, sit borealis; nam boreas absumpto. humore nimio, corpora facit & admotum expeditiora, & ad coctionem floremq;, vtaccolæ septentrionis monstrant, vegetiora: è contra verò calidus siccus & squallens aer, atrat, squallefacit. sicuti calidus & humens austrinus laxat atquè bilefacit. frigidus verò & humidus tùm obstruit, tum calorem ac spiritum, vt de Nomadis ab Hippocrate scriptum est, perfundit colore malo. post aerem quærantur cibi & medicamenta, quæ partim suapte natura in vultu efflorescant, partim, corroboratis visceribus, concinnum & vegetum colorem gignant: vtrunq; verò faciunt vel euacuando, vel alterando: sicuti etiam viscera, vt pulchrè Auicennas docuit, non modò amicis, sed his etiam roborari solent, quæ, & si turbant, iuuant tamen, humore educto, qui malè afficit: sed de medicamentis sæpè dictum, mirobalani ab Auicenna extolluntur, ni fallor, quia & euacuando roborant, & corroborant vi adstringente: sed addendum, quòd quemadmodum humores, qui peccant, suum quisq;, vt sæpè Galenus dolet, calorem referunt, sic pro vario & colore & humore varia mirobalanorum genera eligenda sunt: pro albo chebuli, citrini pro pallido, & bilioso, pro atro indi & alij. Ex cibis autem, qui perbellè colorant cutem, roboratis visceribus, sunt borago, buglossum, flos rosmarini, melissa, absynthium, cicorium agrimonia, cetrah, capparis radix & fructus, nec ab re est, vti ferculis ex corde ac iecore, edi vel pullæ, aut vituli; cibi autem, qui dum intima expurgant, in cute florent, sunt duplicis formæ, alij enim hoc præstant aluo solicitata, alij quòd promptè etiam in cutem exeant:
„ quia omne, quod mouet sanguinem ac spiritum ad cutem, indu-
„ cit eam pulchritudinem puerilem, & mundificationem, & ru-
„ bedinem, ait Auiccennas prioris generis sunt ordeum, oliuæ, brasficæ: & si enim tempore sanguinis fæcem aggregant, qui, vt de cucumeris etiam succo sentit Galenus, modica ad putrescendum occasione accedente, malignas accendit febres, attamen irritata indies aluo, expurgant corpus, & superficiem veluti irradiant, præsertim à cloacis quàm remotissimam, qui vultus est. posterioris autem generis existunt, tum hæc nitrosa, tùm verò maximè, quæ vel substantia tenui præditæ sunt, vt petroselinum, feniculum, aliaquè postmodum dicenda, vel præter detergentem

Hipp. lib. de aere lo. & aquis.

Auice. lib. de corat. cap. 1.

vim,

vim, vt cicet, fabæ, laxandi etiam & humefaciendi facultatem habent, ſicut amigdalæ: ſed amaræ magis abſtergunt: dulces verò ſunt molliores: nec in hoc ſerto caſtaneæ & fabæ diſplicent, quarum alimentum nec malum eſt, nec ægrè in cutem funditur, cum vapor, quem multum hi cibi edunt, naturà tendat in ſuperficiem: itaquè & allium hic adnecto: quod & ſi, vt medicamentum, theriaca quædam Galeno, habetur, pro flatibus abigendis, attamen, quà cibus, inflat, & ita, vt Plinius fortaſſe intelligit, facit colorem bonum: quem omnino & fundit, cum halituoſo calore abundet: ſunt alia etiam ciborum genera, quæ faciem colore implent, multo ſanguine, atquè illo etiam rubeo genito, vt ſus, tauri, & lepus apud Martialem. Sed mollibus & conualeſcentibus nimis dura hæc menſa, eſt: propriè autem coloris venuſtatem curant, quæ vel albefaciunt, vel rubrefaciunt: & quæ omnino ſpiritum, & cum eo illuſtrant ſanguinem: rubefacit rubea tinctorum, coccus, murex: ſed hic cordiales antidotos, rubea verò trypheram ſeracenicam componit, quæ ad conformandam coloris ſpeciem ita extollitur. albefacit poſtea frumentum, milium, lac. illuminant verò quæ tenuem ſubſtantiam eandemq; dilucidam ingignunt, vt idem lac, oua recentia, & ſorbilia. tenellæ carnes, & lacteæ, vinum album, vinum rubeum, ſed perſpicuum. Scio Galenum ſcribere. „ color vini ſua ratione nullo „ pacto iuuat, vel lædit: ſed ea ſententia pro referandis vijs, non ad ornatum prolata eſt: ad obſtructiones enim auferendas vini color non facit, niſi quatenus tenuem ſubſtantiam inſequitur: idem tamen, quà talis, & ſanguinem & ſpiritum fulgidum reddit, & ni fallor, magis quam gemmæ: cum hæ ſolum illuſtrent: vinum autem quam tenuisſimum in ipſam met ſpiritus calorisq; ſubſtantiam tranſeat: præterquàm quòd huius multum, earum verò modicum, idq; etiam rarò ſumitur. Dum autem his vtimur, interim, quod in macie Galenus faciebat, fricetur corpus, vt attracti ſanguinis acceſsione pingueſcens caro elegantius coloretur: & ſi, vt ad ſingularia deſcendamus, deturpatio albeſcit, locus editus, & calidior, rubea magis adſint. ſi palleſcit, & veluti auriginoſus eſt, degat infrigido thalamo, & per æſtatem ſquallidam humili potius quàm alto, iſquè vtatur albefacientibus. proinde albi rubeum, pallidi album, potent, multò magis, qui atri ſunt. & ſi temperies ſpectetur, frigidi & pituitoſi vtantur typhera illa dicta, & trochiſcis ex gallia muſcata: calidi verò electuario ex gemmis, lætificante Almanſoris, cum ſaccaro roſato, & confectione ea floribus cicoreæ, ac fumiterræ: pro

Plin. lib. 20. ca. 6.

Gal. 3. ac. 2.

N omnibus

omnibus autem hoc puluere ac liquore vtor.

℞. nitri aqua fumiterræ loti.
Croci.
Agrimoniæ.
Cetrach.
Acori.
Pulu. cord. temp. an. ℈. s.
Rubeæ tinctorum.
Purpuræ. an. ℈. j.
Sem. frigidorum. ʒ. s.

Terantur subtilissimè.

Liquor autem sit. ℞. brassicarum m. j. s.
Mentastri.
Fumariæ an. m. s.
Rad. & foliorum Cicorij. m. iij.
Fabarum.
Lupinorum.
Lentium sine cortice. } an. p. s.
Amigd. dulcium.
Sem. melonum. ʒ. j. s.
Rad. acori.
Aristolochiæ.
Nasturtij. } an. drac. j. s.
Ircos.
Rubeæ tinctorum. ʒ. iij.

ebulliant. S. A. in aqua pluuia, & ex vase vitreo eliciantur per balneum Mariæ. cuius liquoris senæ, vel quaternæ, aut trinæ vnciæ pro æstate capiendæ sunt in aurora cum tantulo pulueris dicti. Si quæ deformis vana ve puella & muliercula vultum pigmentis ornari vult, probatur vsus decocti granatorum, succus citri, limonis, omnium acidorum, aqua item furfurum, ordei, fabarum, lupinorum, lentium, amigdalarum in aqua pluuia; sed maiori decori est, si addantur, radices liquiritiæ, cannæ, enulæ, brioniæ, iridis, aristolochiæ, ac mellis speciosi, quod sufficiat. maximè autem efficax redditur, si infundas cerussam, aloen lotam, lytargirium album, calchantum rubea foris patet nimium: sed in puellis paruis cerussa dissoluta ex fabarum decocto vel aqua stillatitia satis est: vel hoc villanouani.

℞. Succi

℞. Succi brioniæ.
Carui.
Cucu. agreſtis.
Aquæ roſatæ. an. ℥. s.
Mellis expurgati. ℥. iij.

bulliant, donec ſpiſſeſcant, vel (quod Raſis eſt.) accipe farinæ fabarum.

Ordei. an. p. j.
Lenticularum excoriatarum.
Amigdalarum dulcium.
Dragacanthi. an. p. s.
Sem. melonum. p. ij.
Croci partem modicam.

cum lacte mulieris fiat illitio, quæ noctu hæreat, mane abluatur. ad idem valet farina orobi, erui, ciceris, radix narciſi, ſtercora iam dicta, præſertim vſta: ebur indicum, oſſa, canfora, dragontea, ſpongia marina, aqua balſami.

Epilogus.



CVRATO conualeſcente intus & extra, iam & inſtauratum eſſe puerilem leporem, exornatum calorem, illuſtratum ſpiritum, expiatum ſanguinem, expurgatum fermentum, reſtitutam naturæ temperiem, repreſſum calorem ampulloſum & putrem, euulſam radicitus fœdam hanc ab ægro ſobolem puſtularum, ſicquè, vt mihi licuit, arti, naturæ, ac veſtris, Patres optimi, poſteris, Deoquè in primis ipſi verè pulchro, vni bono, nonnihil ſatiſfactum fuiſſe, & puto, & lætor. facile cuilibet erit poſtea inuentis addere.

FINIS.



NICOLAVS INAMA ANANIENSIS EX COMITATV TYROLI.

Ad Felicianum Beteram virum præstantißimum.



PÆONIVM videas studium promittere paßim
 Venalem turbam, & vulgus inane licet;
Non intellectis curans quod corpora morbis
 Casu, animas dulces, mittit ad Elisios.
Diuina at fatis obstare vrgentibus arte
 Magnus Apollo dedit; FELICIANE, tibi;
Scire potestates herbarum: noscere morbos
 Omnes: nominibus quosq; referre suis;
Consilio omnigenas subito reperire medelas,
 Corpora felici & reddere sana manu;
Quinetiam rerum caussas aperire latentes
 Omniscia volitans templa sub alta Deæ,
Atque animi nitido eloquio depromere sensa
 Aurea promanans, flumina ab ore potes
Hoc tua scripta probant genium spirantia Marci
 Tulli, & doctorum secula clara virûm
Denique Mnemosynes prolem, Maiæq; loquenti
 Numina docta tibi semper adesse reor.
Magnanimi patres tantarum nomine laudum
 Præmia decernant quæ tibi digna satis?
Nobile sed pretium virtus generosa requirit
 Immortale sibi, perpetuumq; decus.
FELICIANE, bonis felix præstantibus ergo
 Esto, Pierij dulcis alumne chori.

INDEX CAPITVM.

De caussis

F I N I S.

REGISTRVM.

ABCDEFGHIKLMN.

Omnes sunt duerniones.

SVPERIORVM COMMISSV.



BRIXIAE,

Apud Polycretum Turlinum.
M. D. XCI.

Curantibus Illustribus viris, & Excellentiss. Iureconss.
Hieronymo Ugono abbate, & Io. Baptista Aueroldo equite
Deputato.

00564,104

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967